HISTORIA
CHIRURGIAE
ANTIQUA,

SEU

CONSPECTUS PLERORUMQUE, SI NON OMNIUM, SCRIPTORUM VETERUM, QUI A PRIMIS ARTIS MEDICAE INCUNABULIS USQUE AD SECULUM DECIMUM QUINTUM INCLUSIVE

CHIRURGICEN

OPERIBUS SUIS EXORNARUNT;

IN USUM PHILIATRORUM EDITA

AB

ANDREA OTTOMARO GOELICKE,

MED. D. ET IN FRIDERICIANA REGIA P. P.

HALAE MAGDEBURG. A. 1713.

PROSTAT IN OFFIC. RENGERIANA

PRAEFATIO.

Lectori Benevolo

S. P. D.

Auctor.

DUo ſunt hominum genera, ad judicandum quidem valde proclivia, ſed ſimul admodum inepta, *imperitum* nempe *VULGUS* & *SCIOLI*. Quod ignobile & imperitum *vulgus* attinet, nemo prudens illius judicia admodum reformidare ſolet, cum rarius ex *malitia*, ſaepius ex *ignorantia* vel *imprudentia* oriantur: Quia vero *ſtultitia non ſemper eſt malitia*, tantum abeſt, ut iram prudentiorum provocare valeant judicia vulgi, ut potius omni modo commiſerationem mereantur. Cum ſciolis autem, qui omnia ſibi ſcire videntur, quamvis de omnibus quidem aliquid, de toto vero nihil ſciant, nempe ſolide, aliter com-

paratum eſt: Illorum enim judicia non tam craſſa illa ignorantia, quam potius ſuperba quadam arrogantia & imaginaria omnia ſciendi praeſumptione, cum ſubtili quadam malitia ſtipata, nituntur. Quicquid enim ad illius ſuae ſcientiae & opinionum ſemel imbibitarum normam ac veluti decempedam rigore quaſi mathematico exigi non poteſt, illud ſuperciliose contemnunt, malitioſe perſtringunt, ſugillant & ſuſpectum quocunq; modo reddere allaborant, omnia tamen quaecunq; ſuſcipiunt, *SINE SALE* gerentes: Quorum proinde intempeſtivo judicandi pruritui tempeſtive ſeſe opponere, aequum non modo & juſtum eſt, ſed & abſolute neceſſarium, ne, quod fieri ſubinde ſolet, malis talibus artibus famae aliorum quicquam detrahatur, ſecundum illud: *Calumniare audacter, ſemper aliquid haeret.*

Praemittere haec oportuit juſtae excuſationis vel potius defenſionis loco, dum alteram hiſtoriae meae partem, nempe *HISTORIAM CHIRURGIAE*, quam nuperrime promiſi, editurus, prius immatura ſciolorum quorundam judicia, imo potius praejudicia removere cogor,

quae

quae circa *hiſtoriam Anatomiae* praecipitantis imo procacis linguae temeritas proferre vel potius effutire verita non eſt.

Recordabuntur autem ſine dubio lectores mei, imo recenti ipſorum memoriae adhuc inhaerebit, quod in *praefatione hiſtoriae Anatomiae* praemiſſa non citra ſonticas rationes monuerim, eſſe hoc, quod ſuſcepi, ſcriptionis genus odii invidiaeque pleniſſimum: Eo quod vel ſycophantarum more omnia promiſcue adprobanda & laudanda eſſent, quae tamen nullam talem laudem mereantur, vel ſincera de ſcriptoribus judicia ferenda, quod tamen crabrones undique acerrime irritaturum, neminem, niſi plane in orbe literato hoſpes fuerit, latere poſſet. Veritatem dictorum, quam jam antea ſubodoratus fueram, ipſemet abunde expertus ſum, aliis hoc aliis aliud de inſtituti mei ratione judicantibus. Nonnullis enim viſum fuit, ad ejusmodi artis hiſtoriam condendam majorem judicii, quam pro annorum ratione ſperari poſſet, maturitatem & exactitudinem requiri, quibus in eo quidem ple-

niſſime conſentio, non cujusvis hoc eſſe, de tot diverſorum ſcriptorum natura & indole judicium adaequatum ferre: Interea tales, ſi medici fuerint, ſimul in memoriam ſibi revocari non dedignabuntur, dentes extremos genuinos, quos congrue admodum *Sapientiae* dentes artifices noſtri vocant, circa annum trigeſimum aut ad ſummum trigeſimum ſecundum erumpere, & quibus eo tempore non erumpunt, cum illis oleum operamque perditum iri non injuſte metuunt. Ego jam annum ago quadrageſimum primum, quo criticum illud eruptionis genuinorum tempus jam dudum elapſum eſt: Unde aut miraculum, noſtro tempore rarius, expectandum, aut a tali ſcriptionis genere penitus abſtinendum eſſet. Sicuti autem horum non omnino injuſtam admonitionem ſuo loco relinquo: Ita tanto minus tolerare potui *ſciolorum* quorundam protervam maledicentiam, qui plurimas ibi manifeſtas contradictiones ſibi detexiſſe viſi ſunt. Hi tales meminiſſe debuiſſent, quod jam alibi *ſciolos* tales, harumque rerum hiſtoriam literariam medicam concernentium

non

non ſufficienter peritos obnixe rogaverim, ut a cenſuris acrioribus abſtinerent, ne rigoroſioribus cribrationibus caſtigandi & in ſemitam rationis ipſos reducendi neceſſitas nobis incumberet: Aut, ſi ſufficientes rationes habeant, tale quid jure nobis exprobandi, cur lucem fugiunt, militibus glorioſis ſimiles, qui cicatrices non in pectore ſed dorſo oſtendunt, & cur non potius omnem aucupantur occaſionem talia in communem Reipublicae literariae utilitatem publice oſtendendi, atque ita anſam praebendi alteri, ut ſeſe explicet & ex adparentibus talibus contradictionum labyrinthis ſeſe extricet: Ita enim mox adpariturum foret, an talis *ſciolus* inter *contradictionem veram* & *adparentem*, quae longiſſime inter ſeſe mutuo differunt, diſtinguere didicerit.

Nonnulli (dignitate tamen prioribus inferiores atque hinc etiam multis nominibus imprudentiores) eousque impudentiae progreſſi ſunt, ut, cum philoſophiae ruſticae vel philoſophi ruſtici (propter ratiocinandi ruditatem) denominatio ipſis injurioſa viſa fuerit, plane *Proceſ-*

ſus, quos vocant, *Injuriarum*, quos in foris Chriſtianorum a multis jam retro annis tanquam Satanae inventum conſideravi, interminati ſint, per *Notarios publicos* litem ſolemniter denunciantes: Quibus nihil ſuadere poſſum ſalutarius, quam ut groſſulum, ſi quem ex abundanti habeant, tanquam ex curatione foedae veneris & adſectuum cum tali promiſcua corporum immundorum pollutione conjunctorum, adquiſitum piis cauſis v. g. pauperum ſublevationi impendant. Taceo plures alias ejus farinae ineptias, quas alii temere effutire non erubuerunt, quibus prolixius enarrandis ſuperſedeo, ne Tua, Lector Benevole, patientia abutar.

Illud vero hoc loco adducere omni modo neceſſarium judicavi, dum hiſtoriam artis chirurgicae edendi animus eſt, nonnullis (ex *Sciolorum* claſſe) vehementer diſplicuiſſe, imo probro hoc mihi dediſſe, tanquam magnae ignominiae ceſſurum, quod praeter lectiones medicas *Philiatris* dicatas, ſimul etiam demonſtrationes Anatomico-chirurgicas in gratiam Studioſorum Chirurgiae, quos hic locorum

rum & paſſim alibi Barbierers Geſellen vocant, praeterito ſemeſtri hyemali adornaverim. Quid vero? An chirurgi praeter barbarum tonſuram nihil addiſcere debent? Itane in perpetua craſſa tali ignorantia relinquendi ſunt? Vel, an vituperium jure meretur, qui artem chirurgicam, quam tanquam merum opificium (Handwerck) ſutorum vel ſartorum inſtar hactenus tractarunt, magis ſcientificam ipſis reddere allaborat, ut artis efficacis titulum meliori jure, quam hucusque factum eſt, tueatur? Tales certe extra moenia urbis patriae pedem vix unquam extuliſſe, aut, ſi fugitivo pede alienum ſolum calcarunt, non ſufficienter tamen mores & conſuetudines aliorum populorum perquiſiviſſe oportuit: Similes illis, qui in Indias orientales navigaturi, *promotorio* ſeu *capite Bonae Spei* vix ſuperato cum aliis in patriam redeuntibus ad Lares ſuos revertuntur: Tales olfactu quidem, nunquam autem viſu Indias iſtas adſequuti ſunt, unde Germanorum proverbium notum eſt: Er hat auch in Oſt-Indien gerochen. Referunt enim nautae, quod in Indias Orientales

tales navigantes, *capite bonae ſpei* ſuperato, ventis nempe ex adverſo inde ſpirantibus tam gratum odorem percipiant, non aliter ac ſi merum cinnamomum vel caryophyllos aromaticos redolerent. Alias enim ignotum ipſis eſſe non poſſet, in Belgio ſumptibus publicis ali Profeſſores, qui chirurgiae Studioſis, denen Barbierer Geſellen/ artis ſuae fundamenta tradere officii cauſa tenentur. Eandem conſuetudinem Pariſiis & alibi in vaſtiſſimo Galliae Regno vigere, aliquoties in hac hiſtoria adnotatum invenient, imo & relatum legent, quod ſingulari encomio merito exornaverimus *FRANCISCVM* hujus nominis *PRIMVM*, qui menſae adſidens in conſpectu ſuorum Magnatum, ſermone de chirurgia habito, ſpoſpondit, ſe unum vel alterum NB. medicum doctum conſtiturum, qui chirurgicam artem Pariſiis, quippe quod ante illa tempora factum nondum fuerat, publice interpretaretur. Interim ſuaderem (neque enim maledici tales homines male ſibi conſulerent) ut ſapientiſſimum illud Syracidis monitum Cap. VI. 2. perpetuo ſibi commendatum haberent: Laß

dich

dich nicht zu klug dünckẽn jedermann zu tadeln; Dann ein ſolcher gifftiger Menſch wird (zu letzt) ſeiner Feinde Spott.
Illud vero craſſiſſimam illorum ignorantiam & impudentiam longe adhuc manifeſtius prodit, quod plane invidioſiſſimum plagiatus crimen tacite & per indirectum imputare non erubuerint, quod in Biographiis Eruditorum medicorum delineandis easdem forte circumſtantias recenſuerim, quarum jam plures alii ante me fecerunt mentionem: Verum pro avertendo hoc vitio reſpondeat hac vice pro me eruditiſſimus *Bayle*, qui in Dictionario ſuo Critico ſe alioſque ita excuſat: *Perſonne jusqu'ici n'a pouſsé l'extravagance jusques à traiter de plagiaires ceux, qui raportent les evenemens, qu'un autre avoit raportez, mais qui les vont prendre à la ſource, n'employent ni le tour, ni l'ordre, ni les expreſſions d'un autre: Il n'y a point d'aparence, qu'à l'avenir perſonne s'aviſe de definir ſi follement le plagiat.*

Perorata ſic breviter cauſa noſtra accedimus ad rem ipſam, paucis indicaturi, qua ratione hanc chirurgiae hiſtoriam tradere utile viſum fuerit. Placuit autem

autem univerſam Chirurgices hiſtoriam *duabus* diſtinctis *partibus* comprehendere, in quarum *priore ſcriptores antiquos a primis artis natalibus ad ſeculum usque decimum quintum incluſive*, *poſteriore* vero *recentiores*, potiſſimum *decimi ſexti*, & in quo impraeſentiarum vivimus, *decimi ſeptimi ſeculi* exhibebuntur.

In Hiſtoria chirurgiae antiqua ita nos geſſimus, ut praemiſſa breviter tractandi methodo, exordium dicendi fecerimus de chirurgia Arabum atque Aegyptiorum, hinc, cum praeſertim omnis medendi peritia ab Aegyptiis ad Graecos tranſierit, ad eorundem Graecorum Chirurgiam progreſſi fuerimus, ubi inprimis *Chironis Centauri*, *Achillis*, *Aeſculapii* nempe Graeci, ejusque filiorum *Machaönis* atque *Podalirii*, *Hippocratis* Coi, *Galeni*, aliorumque, uti & operationum ab ipſis peractarum mentionem fecimus: Quorſum etiam reduximus, quos vulgo vocant, Graecos minores, *Ruffum*, *Epheſium*, *Oribaſium*, *Paulum Aeginetam*, *Aëtium*, *Alexandrum Trallianum*, *Actuarium*, *Myre-*

Myrepſum, & ex latinis nonnullos, *Celſum*, *Scribonium Largum* & *Marcellum Empiricum*. Poſt vaſtum illud *ſeculi ſeptimi* & *octavi* intervallum, craſſiſſima ignorantia & barbarie ubique regnante, acceſſimus ad ſcriptores *ſeculi duodecimi*, quorſum inprimis pertinent *Guilielmus de Saliceto*, *Brunus* & *Lanfrancus*. Hinc tranſitum facimus ad chirurgos *ſeculi decimi tertii*, quod inprimis illuſtrarunt *Dinus de Garbo*, *Guilielmus Varignana* & *Guido de Cauliaco*. Seculum vero *decimum quartum* exornarunt *Johannes de Gatesden*, *Valeſcus de Taranta*, *Petrus de Argillata*, *Antonius Benivenius*, *Rolandus Capellutus*, *Johannes de Ketam*, *Theodoricus* & *Jacobus de Dondis*. Atque ita progreſſi tandem fuimus ad ſcriptores ſeculi *decimi quinti*, ubi ex *Hiſpanis* & conterminis *Portugallis* gloriam adſequuti ſunt *Johannes Brabus Chamicus*, *Alphonſus Gomezius*, *Andreas a Lacuna*, *Rodericus de Molina*, *Alvarus Nonnius*, *Franciſcus Arcaeus*, *Andreas Alcazar*, *Matthias Narvatius*, *Johannes Fragoſus*, *Ludovicus Mercatus*, *Auguſtinus Vasquez*, *Dionyſius Daza Chacon*, *Johannes*

nes Andreas a Cruce, *Alphonſus Lopez*, *Harcerus* &c. Proximum locum tribuimus *Italis*, ad quorum ſeriem reduximus *Alexandrum Benedictum*, *Angelum Bolognínum*, *Rogerium*, *Johannem de Vigo*, *Paulum Juliarium*, *Marianum Sanctum*, *Benedictum Textorem*, *Leonardum Bertapaliam*, *Jacobum Berengarium*, *Michäelem Angelum Blondum*, *Johannem Baverium de Baveriis*, *Antonium Fumanellum*, *Bartholomaeum Maggium*, *Philippum Palatium*, *Hieronymum Craſſum*, *Vidum Vidium*, *Conſtantinum Varolium*, *Julium Caeſarem Arantium*, *Leonardum Botallum*, *Gabrielem Fallopium*, *Johannem Philippum Ingraſſiam*, *Horatium Morum*, *Johannem Franciſcum Rotam*, *Euſtachium Rudium*, *Caſparum Tagliacotium*, *Durantem Scacchi*, *Johannem Petrum Paſſerum*, *Nicolaum Nicolum*, *Marcum Antonium Montagnanam*, *Baptiſtam Codronchium*, *Johannemque Andream a Cruce*. Hos omnes excipiunt Galli, quorum primarii hujus ſeculi ſcriptores ſunt *Johannes Pariſienſis*, *Hieronymus Montuus*, *Antonius Chalmetaeus*, *Stephanus Gourmelinus*, *Jacobus Hollerius*,

us, Hieronymus Rupeus, Johannes Tagaultius, Franciſcus Vertunianus, Franciſcus Roſſetus, Philippus Fleſſelius, Iſaacus Joubertus, Ambroſius Paraeus, Johannes Riolanus, Jacobus & Carolus Guillemaeus, Nicolaus Abrahamus Frambeſarius aliique. Poſtremum denique locum conceſſimus dilectis noſtris Germanis, ex quibus potiſſimum eminuerunt *Wendelinus Hoeck de Brackenau, Gualtherus Hermannus Ryff, Conradus Geſnerus, Johannes de Gersdorff, Leonardus Fuchſius, Hieronymus, Paracelſus, Eucharius Rhodion, Jacobus Rueff, Andreas Veſalius, Georgius Phaedro, Petrus Foreſtus, Thoma Fienus, Johannes Langius, Johannes Wittichius, Lebſelſterus &c.* Quod vero hiſtoriam ſcriptorum Chirurgicorum recentiorem, ſeculi potiſſimum *decimi ſexti* & *ſeptimi*, attinet, eam ſeorſim pertractare conſultius judicavimus, quia majorem materiae molem nobis ſubminiſtrabit, quam omnia praecedentia ſecula ſimul ſumpta. Fruimini interim, Philiatri optimi, hiſce laboribus noſtris, quos veſtrum cauſa inprimis

ſuſce-

ſuſcepimus, & futuris nundinis Lipſi-
enſibus alteram hiſtoriae Chirurgices
partem expectate. Valete, noſtrisque
conatibus, ſicuti hucusque feciſtis,
ulterius favete. Dab. Hal. Magd.
d. 6. Maji 1713.

HISTORIA CHIRVRGIAE, A PRIMIS ARTIS MEDICAE NATALIBVS AD SECVLVM DECIMVM QVINTVM VSQVE CONTINVA SERIE DEDVCTA.

§. I.

CHirurgiae cum Anatomia, cujus hiſtoriam nuper edidimus, tam arcta eſt communio atque conjunctio, ut, qui illam ſine hac exercere vellet, aeque abſurdus foret, atque claudus ſine grallis ambulaturus: Luxationum atque dislocationum Chirurgia manifeſtum inprimis ejus rei documentum praebere poteſt, ubi procul dubio vaniſſimum laborem adgrederetur, qui illam ſine ſufficiente articulationum notitia ſuſciperet.

§. 2. Quicquid vero de chirurgia ejusque cultoribus vulgo ſentiant imperiti; Extra dubium tamen eſt, medicinam illam *externam* prae hac *interna* magnam habere praerogativam. Quae vero potiſſimum Chirurgiae prae medicina interna eminentiam & victricem veluti manum porrigunt, ſunt & ipſius artis *antiquitas*, & *evidentia* atque certitudo, & *efficacia* & inevitabilis in vita communi *neceſſitas*. Quod *antiquitatem* attinet, eidem teſtimonium irrefragabile praebent Arabes & Aegyptii, gens vetuſtiſſima, cui, ut alia hac vice ſilentio praeteream, uſtionis actus maxime ſolennis & familiaris fuit; Poſtquam enim ipſorum pueri vix quadrimi effecti erant, ſtatim venas cervicis vel temporum lana ſuccida inurere ſolebant, credentes, eos hoc medio conſtantiori fruituros valetudine, & ab omnibus inſultibus morboſis liberos fore. Ad minimum antiquiorem *Homero* eſſe chirurgiam, inde liquet, quod vetuſtiſſimus hic Graecorum Poëta ſubinde perhonorificam injiciat mentionem tam ipſius Chirurgiae quam nonnullorum celebrium ejus temporis artificum, potiſſimum *Machaonis* atque *Podalirii*, quippe qui medicorum titulo Ducem Agamemnonem in bello Trojano ſequuti, notante Homero, non medicamentis, ſed praecipue manu com-

commilitonibus ſuis deſideratam attulere operam.

§. 3. *Evidentia* atque *certitudo* artis chirurgicae minoribus adhuc dubiis expoſita eſt; Scite enim dixit C. *Celſus*, in morbis internis multum conferre naturam, remedia ſaepe minus ſalutaria ſaepe vana eſſe, atque hinc non immerito dubitari poſſe, ſecundane valetudo medicinae, an vero corporis beneficio obtigerit? Imo in iis quoque, in quibus remediorum efficaciae maxime fidimus, profectum quidem interdum evidentiorem eſſe, ſanitatem tamen nonnunquam etiam per haec fruſtra quaeri, & ſine illis quandoque reddi. Aſt vero in ea medicinae parte, quae manu curat, longe evidentiſſimum eſſe, omnem profectum, ut aliquid ab aliis adjuvetur, hinc plurimum trahere. Exemplo eſſe poſſunt oſſium luxatorum repoſitio, fractorum coaptatio, labiorum in vulneribus mutua adductio, calculi e veſica protractio, membri ſphacelati extirpatio &c.

§. 4. De *efficacia* ejus tam audacter pronunciavit Hippocrates, ut plane dedecus eſſe exiſtimaverit Medico, per Chirurgiam non obtinere id, quod velit. Quae procul dubio etiam ratio fuit, quare *Marcus Aurelius Severinus* univerſam Chirurgiam nomine *Efficacis Medicinae* propoſuerit.

§. 5. *Neceſſitas* vero chirurgiae tanta eſt, ut eadem in ſocietate humana carere abſolute nequeamus. Multi enim ſunt homines, v. g. ruſtici aliique plebeji, qui medicinam vel frivole contemnunt vel ſtulta quadam nauſea averſantur, qui tamen, quotidiana experientia teſte, ſine ulla tam exacta & ad rigorem regularum medicarum compoſita diaeta, imo nullis plane artificialibus remediis adhibitis, ſolo Naturae beneficio conſaneſcunt: Quis vero vidit unquam, quod, ſi cui crus vel fractum vel luxatum fuerit, illius ſive fractura ſive luxatio ſine manus opera aut periti cujusdem Chirurgi concurſu & induſtria ad priſtinam integritatem reducta unquam fuerit?

§. 6. Verum haec omnia prolixius jam proſequi non eſt noſtri inſtituti; Videamus potius, quam inprimis methodum ſequuti fuerint Auctores, qui Chirurgiam ex profeſſo pertractandam ſuſcepere, ut ſic ad ſcopum nobis propoſitum accedamus propius: Non enim eandem omnes rationem iniverunt artem iſtam tractandi. Nonnulli illorum omni doctrina de operationibus Chirurgicis, manu vel inſtrumentis peragendis, ſpreta atque neglecta, univerſam Chirurgiam ad haec quinque adfectuum genera, nempe tumores, vulnera, ulcera, fracturas atque luxationes reſtringere conati ſunt,

ſunt, quos inter nomina ſua profeſſi ſunt *Guido Cauliacenſis, Tagaultius, Franciſcus Peccettius*; *Sebaſtianus Cortilio, Petrus Pigraeus*, ipſe *Veſalius* in Chirurgia magna, *Stephanus Calander, Saporta, Riolanus* Senior, & ex recentioribus inprimis *Johannes Munnicks* aliique plures, quorum ſuo tempore mentionem faciemus. Quod *Johannem Baptiſtam Corteſium* attinet, eandem quidem ille, quam praecedentes, viam ingreſſus eſt, ea tamen inter *hunc* & *illos* differentia manet, quod *Corteſius* ſingulis ſpeciebus ſub forma appendicis ſubjunxerit maſculam curandi methodum per operationes manuales, quas illi omnes ſicco pede praeterire non dubitarunt.

§. 7. Aliis tam antiquiorum, v. g. *Guillemeau, Pareo, Ferrarae* aliisque, quam recentiorum, uti ſunt *Barbette, Blancardus, Bontekoe, le Clerc* &c. alia placuit methodus, nempe illi poſt operationes Chirurgicas, manu vel inſtrumentis expediendas, mentionem quoque fecerunt illorum morborum externorum, v. g. tumorum, vulnerum, ulcerum &c Imo nonnulli plane talium adfectuum mentionem injecerunt, qui ad chirurgiae cenſum prorſus non pertinent, e. g. arthritidis, dyſenteriae, luis venereae, peſtis, quam inprimis viam ſibi elegerunt *Petrus de la Cerlata, Andreas à Cruce* talesque plu-

 res,

res; De quibus tamen omnibus hoc ferendum eſt judicium, quod *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος* manifeſte commiſerint, quia falcem chirurgicam in alienam, nempe ſtricte medicam meſſem immiſerunt: Ad chirurgum enim ſtricte loquendo, non pertinet curatio morborum, ſed operationum tantum manualium prudens atque perita directio & adminiſtratio.

§. 8. Aliter, & longe quidem prudentius & circumſpectius ſeſe geſſerunt *Marcus Aurelius Severinus*, *Vidus Vidius* Junior, *Gourmelinus*, *Aquapendens*, *Johannes van Horne*, *Jeſſenius a Jeſſen* & alii, qui chirurgiam veluti in abſtracto & ab omnibus reliquis medicinae partibus *ſeparatim* tractarunt, nullamque morborum externorum, cauſarum, ſignorum, medicamentorum & diaetae, ſicuti medicis alias ſolemne eſt adfectus tam internos quam externos tractare, mentionem fecerunt, imo potius ex ipſa Medicina haec omnia ſuppoſuerunt: Quapropter *Joh. van Horne* vehementer redarguit *Guidonem de Cauliaco*, *Joh. Vigonem*, *Petrum de la Cerlata*, *Bertapaliam*, *Lanfrancum* & *Guilielmum de Saliceto*, quod magis de adfectibus externis in partibus corporis occurrentibus, tumoribus v. g abſceſſibus, puſtulis & maculis, eorumque ſignis, internis aeque ac externis, curandi ratione diaetetica & pharmaceutica ſolliciti fuerint,

rint,quam de tradendis operationibus,quarum tamen adminiſtratio ſolummodo facit chirurgum, & à medico phyſico diſtinguit. Vult itaque potius,Chirurgiam non *in concreto*, uti hi, quos modo recenſuimus, fecerunt, verum potius *in abſtracto* tradendam eſſe, i. e. ſejunctam ab omnibus aliis medicinae partibus,ſicuti ab iis viris factum eſt, quos circa initium hujus §i laudavimus: Apud illos enim,Hornio pariter obſervante,ne γρὺ quidem exſtat de diaeta aut pharmacia, non magis quam apud arithmeticos de magnitudinibus & apud Geometras de numeris agitur. Quid? Quod ne nomina quidem morborum niſi ὡς ἐν παρόδῳ recenſeant, ſed toti ſint occupati in deſcribendis inſtrumentis neceſſariis & operationibus ſeu manuariis adminiſtrationibus, à quibus expectare convenit morborum ſanationem.

§. 9. Porro alii ſcriptorum Chirurgicorum totum artis latifundium exhaurire & chirurgiam ex profeſſo tractare ſuſceperunt, quo inprimis nomine noti ſunt *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente*, *Petrus de Argillata*, *Guido de Cauliaco*, *Johannes Baptiſta Corteſius*, *Ambroſius Paraeus*, *Guilielmus de Saliceto* &c. Alii vero unam vel alteram partem tantum tractandam ſibi elegere, ſicuti *Tagliacotius* de chirurgia curtorum,

Marianus Sanctus de lithotomia, *Chalmetaeus* de inſtrumentis & ferramentis chirurgicis tractavit.

§. 10. Rurſus alii *obſtetricatum* tantum, ſeu expeditam rationem juvandi vel ſuccurrendi mulieribus, difficultate partus laborantibus, prae oculis habuerunt, ut *Mauriceau, Roonhuyſen* &c. Alii *Coſmeticen* etiam, qua varia cutis vitia, tubercula & ſcabiei genera auferuntur, pro parte Chirurgiae agnoverunt, ut ex integro *Critonis* opere adparet, quorſum etiam *Andreae Furnerii* liber de decoratione ſpectat. Alii *Chirurgiam militarem* tantum tractarunt, qualem *Antonii Chalmetaei Vergeſaci* encheiridion chirurgicum & *Matthiae Servatii*, Arragonenſis ſylva ſententiarum exhibet. Iterum alii *vulnerum lethalium inſpectionem* atque dijudicationem ad forum quoque Chirurgicum revocarunt, quam materiam ſolide enuclearunt *Melchior Sebizius, Godofredus Welſchius, Bernhardus Suevus, Johannes Bohnius, Paulus Ammannus* & alii plures.

§. 11. Alii denique morbi gallici, elephantiaſeωs ſeu leproſorum curationem ad chirurgiam quoque pertinere arbitrati ſunt, nec pauci deprehenduntur, qui partim ſeorſim de hiſce morbis tractarunt, partim reliquis ſuis ſcriptis illorum tractationem ſubjunxerunt. Ex antiquis de morbo gallico

lico ex profeſſo egerunt *Aloyſius Lobera, Alphonſus Ferrius*, *Amatus Luſitanus*, *Andreas Veſalius*, *Antonius Benivenius*, *Antonius Fracantianus*, *Antonius Gallus*, *Antonius Muſa*, *Antonius Scanarolus*, *Benedictus Victorius*, *Conſalvus Ferrandus*, *Conradinus Gilinus* &c. qui omnes uno volumine comprehenſi prodiere Venetiis anno 1566. Plures alios tam ex antiquis quam recentioribus recenſuit *Mercklinus* in cynoſura medica ſeu libro ſecundo de ſcriptis medicis *Lindenii*, quorum hinc inde in Hiſtoria noſtra mentionem faciemus.

§. 12. Poſſem itaque, ſi vellem, ſecundum hanc methodum ſcriptorum Chirurgicorum hiſtoriam meam texere; Neque forte hic ordo ſua careret utilitate: Malo tamen eandem ſequi tractandi rationem, qua jam in hiſtoria Anatomiae uſus ſum: Nempe ſcriptores chirurgiae eo potius ordine recenſebo, ſicuti naturali temporis ſerie mihi occurrent, ſemper tamen inter diverſas nationes neceſſarium diſcrimen obſervaturus.

§. 13. Interim cum duae ſint artis Chirurgicae partes, altera nempe *Operatoria*, quam alias etiam *organicam* vocant, altera vero *pharmaceutico-Medica*, quae alias *medicamentaria* dici ſolet; Utraque vero illa pars non ab omnibus aeque exculta ſit, ſed non-

nulli ſcriptorum chirurgicorum pure tantum inhaeſerint *parti medicamentariae*, miſſa & intacta penitus relicta *Operatoria*; Hinc expedire quidem videretur, ſi in ſuas haſce claſſes ſcriptores diſtributos *ſeorſim* tractaremus: Quia vero hodiernis moribus receptum eſt, omnes illos Chirurgorum nomine ac titulo inſignire, qui non manu tantum & inſtrumentis operantur, ſed & vario medicamentorum adparatu adfectuum externorum curationem adgrediuntur: Hinc promiſcue & indifferenter ad noſtram hiſtoriam pertinebunt omnes illi ſcriptores, qui vel *ſolam organicam*, vel *una cum illa* etiam *pharmaceutico-medicam* chirurgiae partem, vel *artem obſtetriciam* vel *vulnerum renunciatoriam*, vel *Coſmeticen*, vel *medicinam militarem*, vel quicquid demum huc revocari poteſt, pro ingenii ſui modulo pertractarunt.

§. 14. Quibus ita de methodo ſcriptorum chirurgicorum praelibatis, ad negotium noſtrum jam accedamus propius, facturi initium dicendi de chirurgia *Arabum* & *Aegyptiorum*, tanquam populorum non ſolummodo antiquitatis, ſed & ſtudii medici exculti laude longe clariſſimorum, omnisque eruditionis Graecae pariter atque Latinae citra contradictionem magiſtrorum. Apud *Arabes* enim non obſcura occurrunt operatio-

rationum quarundam chirurgicarum documenta, v. g. inuſtionis variarum partium, qua ad multos magnos morbos curandos & cicurandos utebantur, arteriotomiae, & extractionis lapidum è veſica, *ſine inciſione*, noſtris hodie in uſitata.

§. 15. Scripſit autem de univerſa Aegyptiorum Medicina Libros IV. *Proſper Alpinus*, in quibus multa, quae argumentum chirurgicum concernunt, v. g. de vario mittendi ſanguinis uſu per venas, arterias, cucurbitulas ac ſcarificationes, noſtris hodie prorſus inuſitatas, deque inuſtionibus aliisque chirurgicis operationibus comprehenduntur; Quae omnia priſcis medicis uti pervulgata & notiſſima fuerunt: Ita non ſine ingenti artis Jatricæ damno atque jactura à noſtris hodie vel deſiderantur vel vilipenduntur.

§. 16. Juvabit vero haec omnia paulo ſpecialius proſequi. Quod igitur *arteriarum ſectionem* attinet, illa non minus apud Arabes in uſu fuit, quam ipſarum venarum apertio ad multos chronicos morbos profligandos, & inſtituebatur praecipue in arteriis frontis, aurium manusque. Fuit vero haec operatio Arabibus & Aegyptiis ita propria, ut à nulla alia gente ullibi eandem priſcis temporibus adornatam fuiſſe vel audiverimus vel ullibi legerimus: Sequiores enim Medi-

ci

ci tantum non omnes ſibi perſuaſerunt, arteriotomiam non undiquaque tutam eſſe, ac proinde ſine ingenti periculo exerceri non poſſe.

§. 17. *Uſtionis* actus praecipue Arabibus maxime celebratus fuit: Refert enim *Alpinus*, eundem maxime familiarem fuiſſe Arabibus Equitibus ſub tentoriis degentibus, omnibusque aliis loca deſerta habitantibus, qui cum aliis careant loci inopia auxiliis, *inuſtione* multos morbos ſanare ſoliti ſint: Pauciſſima enim talium corpora reperirentur, ab igneis cicatricibus non defœdata. Idem quoque ſubjungit, frequentiſſimum hujus remedii uſum eſſe in articulorum antiquis doloribus, quibus quippe hac inuſtione efficaciter occurrerent.

§. 18. Neque ignorarunt Arabes modum extrahendi calculum ex veſica, quamvis modo à noſtratibus plane diverſo, nempe ſine inciſione, quem *Octavius Roveretus*, medicus, qui pro natione Veneta in Aegypto per multos annos medicinam fecit, ab Arabe quodam ſequenti ratione adminiſtratum vidit: Habebat nempe cannulas quasdam, alteram altera majorem, in modum muſici inſtrumenti, ſyringae adpellati, è ſubſtantia cartilaginea, quae facile dilatatur: Harum graciliorem in virgae canalem intromiſit fixitque, quousque ad veſicam perve-

venerit, moxque ore inſufflando ipſam inflavit, quantum potuit, poſteaque hac majorem vel craſſiorem introduxit, inſufflandoque eodem modo inflavit,& poſtea tertiam vel etiam quartam omnium maximam. Virga autem hoc modo dilatata, ut viam canalis ſufficienter dilatatam fuiſſe putaverit, nempe, ut per eam lapis exire valuerit, aegroto inprimis commode collocato, digitoque ano immiſſo, lapidem ad collum veſicae, ubi majoris cannulae extremitas pervenit, deduxit, inque cannulam calculum deducere conatus eſt: Quo facto altero cannulae meatu ore excepto ſpiritum ad ſe trahendo, calculum ſimul attrahere atque ita penitus tandem educere adlaboravit.

§. 19. Nihil vero vetat, quo minus *Alpino* pleniſſimam hiſce in rebus fidem adhibeamus, quippe qui ſola ſciendi & medicinam perficiendi cupiditate ductus, relictis patriis littoribus, in Aegyptum profectus ibidemque nonnullos annos commoratus eſt,quo tempore familiariter cum medicis illarum regionum converſando, uſitatam illorum methodum obſervavit & redux in patriam ſcripto conſignavit, quod, ut Patriae ſuae rectius adprobaret, imo & plus auctoritatis,ſplendoris atque exiſtimationis operi accederet, ſupremo Reipublicae Vene-

netae Conſiliario, Antonio Mauroceno, dedicare non dubitavit. Natus vero eſt Proſper *Alpinus* Maroſticae, oppido ad montium Vicentinorum radices ſito, patre medico, *Franciſco Alpino* Anno C. 1553. Inſignia Doctoralia in Academia Patavina accepit, & confecto itinere ſuo Genuam ad *Johannem Andream Auriam, Melphorum Principem* atque Philippi Hiſpaniarum Regis, maritimae claſſis Praefectum evocatus eſt, ut medici aulici munere perfungeretur: Hinc vero Patavium, quod ante annos aliquot ſummos in arte honores ipſe contulerat, receſſit, ibidemque Botanicam Profeſſionem ſuſcepit. Emenſo tandem vitae ſuae ſtadio Patavii mortuus eſt anno 1616. relicto filio, qui ipſi poſt *Praevotium* in Profeſſione ſucceſſit.

§. 20. Aegyptiorum Chirurgiam quod attinet, ſciendum eſt, illos multa cum Arabibus habere communia. Miſſis vero hac vice iis, quae ad ſcopum noſtrum non pertinent, de medicorum Aegyptiorum ſtatu atque conditione, regionis ſitu & temperie, incolarum temperamento, victu, morbis patriis & epidemicis &c. excerpemus ſolummodo, quas praecipue Chirurgias exercere ſoliti fuerint, inter quas Venaeſectio, arteriotomia, cucurbitularum adplicatio, ſcarificationum varia genera & inuſtiones

nes atque cauteriſationes variarum partium ipſis maxime frequentatae ſunt.

§. 21. Venaeſectionis tam familiaris atque frequens apud Aegyptios erat uſus, ut in omnis ſexus, aetatis & temperamenti hominibus, in quocunque morbo, quocunque anni tempore, illam adhibere conſueverint, & quidem, quod omnes plethora laborare perſuaſum ſibi haberent: Potiſſimum tamen, cum pleroſque morbos à cauſa calida pendere, & Venaeſectionem egregie refrigerare arbitrentur: Hinc in omnibus adfectibus acutis, febribus putridis, peſtilentialibus, variolis puncticuliſque peſtilentibus, in inflammationibus internis, phrenitide, angina, pleuritide, peripneumonia, hepatis, lienis, diaphragmatis, inteſtinorum, Renum uterique inflammationibus, uti & in externis quibusdam adfectibus, eryſipelate caput praecipue occupante, ophthalmia, gingivarum, colli glandularum, faucium, linguae inflammationibus, parotidibus, bubonibus, carbunculis, cancris aliiſque tumoribus & ulceribus, non minus quoque in ſanguinis profluviis alvique dyſentericis fluxibus, in convulſis, epilepticis, vertiginoſis, reſolutis & apoplecticis, in immoderatis vigiliis, in amentiis, in obſtructis hydropiciſque, leproſis & elephantiacis &c.

ad

ad Venaeſectionem tanquam ad ſacram anchoram recurrere ſolent.

§. 22. Similiter *arteriotomia* Aegyptiis familiariſſima eſt, eamque pro divino ſecreto ad diuturnas atque inveteratas ophthalmias, nec non ad capitis aliorumque viſcerum antiquos & diuturnos dolores commendant. Arteriae autem, quas dictis in caſibus medici iſtarum Regionum aperire ſolent, ſunt inprimis arteria frontis, quam tamen non totam ſecant vel extrahunt, ſed vel eodem modo, uti venas ſecant, vel exurunt. Praeter dictas vero arterias ſecant etiam eam, quae inter pollicem & indicem digitum ſita eſt, eamque ſanguinis miſſionem ad omnes viſcerum internorum dolores atque inflammationes utilem eſſe credunt. Modus adminiſtrandi arteriotomiam ſecundum Aegyptios talis eſt: Operator partem, in qua arteria ſcindenda exiſtit, faſcia linea, non ſecus quam in Venaeſectione fieri adſolet, ligat, eamque ſanguine impleri atque tumidam fieri ſinit, deinde acutiſſimo phlebotomo ſive ſcalpro oblique ſecat, tantumque ſanguinis effluere ſinit, quanto opus eſt. Sanguine evacuato, ſectam arteriam unit, ejusque vulneri modicum goſſypii ſuperimponit, & ſupra vulnus aeneum magnum denarium in Aegypto uſitatum fortiter adligat permittitque hoc

modo

modo arteriam ligatam adſtrictamque tribus diebus manere, quibus finitis ligaturam ſolvit detrahitque, nullo alio ad ipſius curam auxilio ab ipſis uſitato. Teſtatur vero *Alpinus*, nullum ex plurimis, quos viderit ſectos, à ſe obſervatum eſſe, qui detracto aeneo denario ligatura poſt tres dies exactos, aliquo alio auxilio opus habuerit, ſed omnes integre ſanatos eſſe.

§. 23. Praeter Venaeſectionem & arteriotomiam alius adhuc mittendi ſanguinis modus Aegyptiis ſolemnis fuit, nempe per *cucurbitulas*, quarum duo genera medicis illorum in uſu erant, alterum vitreum, corneum alterum, & oris ſuctione, reſpiratione retracta, cuti adfigere ſolent, ſicuti hodie igne vel aqua calente Balneatores illas adplicare conſueverunt. Uſus illarum frequentiſſimus eſt ſecundum Aegyptios non tam in evacuatione univerſali quam potius particulari, in doloribus capitis & inflammationibus oculorum auriumque, in phrenitide &c. Unam nempe adplicando occipiti, duas vero partibus circumpoſitis vel in collo, ſcilicet cum ſcarificatione. Adminiſtrant inſuper cucurbitulas cum ſcarificatione ad gutturis inflammationes felici cum ſucceſſu, quia obſervarunt, naturam quandoque ipſam ad haſce partes evacuationem moliri. Aſt raro vel nunquam

utuntur cucurbitulis ſine ſcarificatione, neque praeter occiput omnemque averſam partem, atque poſt aures inter occiput & collum alias ſcarificant, & idcirco neque dorſo, lumbis, natibus, coxendicibus cruribusque, ſicuti noſtris ſolemne eſt, cucurbitulas adplicant. Multo vero adhuc minus iisdem utuntur pro adjuvanda exanthematum adparitione, quo tamen fine haud raro a noſtris illas commendari videas.

§. 24. Utuntur praeterea Aegyptii Medici pro eodem ſcopo, evacuatione ſcilicet ſanguinis obtinenda, variis ſcarificationibus, quas tanquam Venaeſectionis vicarias conſiderant: Primo enim vere ex centenis pueris vix quadraginta reperiuntur, quorum aures ob ſcarificationem goſſypio non ſint obvolutae. Non vero ſolummodo aures, ſed & nares, labra, gingivae ſcarificantur, imo quaecunque aliae corporis partes extrinſecae aut aliqua inflammatione antiqua vexatae vel cancrena ob malignitatem vel calore partium naturali extincto vel ſuffocato vel aliqua puſtula vel tumore p. n. detentae ſcarificatione ſanantur. Omnium tamen reliquarum & uſitatior & utilior ab ipſis cenſetur ſcarificatio narium, quia praeſentaneum ab ipſis habetur remedium in omnibus febribus acutis inque doloribus capitis & inflammationibus. Interea multum

tum etiam deferunt Scarificationi crurum, quam ſequentem in modum adminiſtrant: Primum ſuras multum perfricant, paululumque retractant, ac deinde in vas aqua dulci calida plenum collocant, eademque ſaepius irrorant, atque arundine modice percutiunt, dehinc ſub poplite Zonula coriacea arcte ligant, ac rurſum manibus fruſtoque arundinis ſaepe ac valide totam ſuram verberando tandem ſummo rubore adficiunt, quo valde adaucto multis longis atque profundis inciſionibus, aequalibus interſtitiis ordinatim per muſculorum longitudinem non κατὰ πληγὴν, i. e. percuſſiones ſed κατὰ συρμὸν, i. e. per tractum, cultro factis ſcarificant, ſicque ſanguinem ſinunt exire, aquae calentis, qua creberrime ſurae irrorantur, adjumento. Recurrunt vero ad haſce crurum ſcarificationes Aegyptii tanquam ad divinum auxilium in omnibus febribus putridis, in quibus quippe hac via in pueris uberiorem ſanguinem demunt, quem alias per Venaeſectionem evacuare conveniſſet, & credunt, hoc medio omnes vehementes dolores, diuturnas vigilias, deliria, phrenitides aliaque ſymptomata feliciter praecaveri & averti.

§. 25. Non minus quoque Aegyptii pro ſelectiſſimo ſecreto varios morbos curandi habuerunt variarum partium *inuſtiones*, quas

tamen delicatuli noſtri hodie tanquam crudeles & carnifice potius quam chirurgo dignas reformidant & non ſine graviſſimo artis dedecore ex foro Chirurgico tantum non penitus proſcribunt. Inurunt autem non ſolum permultas capitis partes, ſinciput, occiput, tempora, pone aures, collum, ſed etiam pectus, latera, hypochondria, ſub umbilico, ſpinam dorſi, articulosque tam brachiorum & manuum quam crurum pedumque. Quoad modum urendi ſciendum eſt, eos, ſicuti noſtrates, non uti auro vel ferro candente vel alio metallo ignito, ſed goſſypio tantum & lineo panno ignito. Inuſturi itaque aliquam corporis partem, ſumunt lineam petiam cubiti longitudine triumque digitorum latitudine, nec non juſtam goſſypii quantitatem, quod totum praedicta petia linea obvolvunt, filo ſericeo ligant ad formam pyramidis, ipſiusque latiorem extremitatem urendae parti adplicant, & firmiter cuti adhaerere ſtudent, alterumque extremum ſuccendunt comburique permittunt, quousque faſciculus ille omnino crematus ſit, continue interim, dum cutis uritur, carnem circum circa tangentes, ne ex illo calore oboriatur aliqua inflammatio. Credunt autem, remedium hoc inprimis efficaciam ſuam exerere in articulorum antiquis & pertinacioribus doloribus,

loribus, quos ex frigidorum humorum defluxione vel a flatulento ſpiritu in iis partibus genito ſuboriri exiſtimant, v. g. in dolore coxendicum, in podagra & chiragra, antequam nempe tophi manus vel pedes invaſerint. Quod vero inprimis caput tam multis uſtionibus adficere ſoleant, inde eſt, quod illud conſiderent tanquam partem mandantem, ex qua ad pectus atque pulmones frequentes humorum fluxiones eveniant: Unde ſinciput, verticem, occiput, regionem pone aures inurunt in inveteratis *ophthalmiis*, in *epilepſiis*, *paralyſi*, *apoplexia*, *vertigine*, in *inflammatione oculorum*, *aurium* atque *dentium*, in *defluxionibus catarrhalibus pectus* occupantibus, *haemoptyſi*, *phthiſi*. *ſuppuratione* & *empyemate pectoris*, *aſthmate difficili*, in *flatulentia*, *induratione hepatis* atque *lienis*, in *hydrope* ſub umbilico & hypochondrio ſiniſtro, in *doloribus dorſi*, *lumborum*, *colli articulorumque*.

§. 26. Ex *Chirurgiis particularibus* ſuſceperunt *Aegyptii ſectionem* tam *hydropicorum* quam *ſuppuratorum*, quam variis modis celebrare conſueverunt; Alii enim ſub umbilico per tres digitos verſus partem, a qua hydrops ortum ſuum deduxit, terna vulnera infligunt; Alii parvis ſcarificationibus ventrem tumidum ſcarificant, per quas aqua paulatim exit; Alii vero tutius

ſupra vel infra pedum claviculam intus extraque binas adigunt ſectiones, per quas ſenſim ac pededentim aqua commode educitur. Commendarunt autem antiqui hoc remedii genus ad aſciten & anaſarcam omnesque aqucos tumores, ne ipſa quidem hernia aquoſa excepta, quippe quae hac ſectione omnium tutiſſime curatur. Non eſt vero hoc loco negligenda obſervatio *Alpini*, adſerentis, quod multos quidem tumore ventris inſigni laborantes hoc remedio curatos viderit, ſed quod deinde ſphacelo correpti obierint, quod non aliunde ipſis accidiſſe arbitratur, quam quod partes illae ex larga aquae fluxione ac diuturna ſtagnatione laedantur ac refrigerentur, ſicque calore multum diminuto tandem in ſphacelum prolabantur.

§. 27. Non vero ſolummodo *hydropicorum*, verum etiam *ſuppuratorum* ſanationem mediante *ſectione* adminiſtrandam ſuſceperunt: Obſervantes enim *pleuriticum* vel *peripneumonicum*, multum, ut morbo ſuperando par eſſet, non exſpuere, doloremque cum febre caeteriſque ſymptomatibus perſeverare, ac proinde pus fieri, inde colligentes, ad ſectionem deproperarunt, adornantes eandem in latere ſiniſtro inter coſtas ſpurias prope ſeptum transverſum: Plerique tamen potius inter ſecundam ac tertiam

tertiam coſtam perforare thoracem ſolent phlebotomo, atque per intromiſſam cannulam argenteam, ex vulnere modicum puris educere, tandemque exſiccantibus illud iterum ſanare, pure nempe omni educto. Alii vero illorum diaphragma laedi phlebotomo formidantes, partem magis ab eo diſtantem ſeligunt, atque adeo inter tertiam & quartam coſtam ſectionem inſtituunt. Operationem talem moderni *Paracentheſin pectoris* vocant.

§. 28. Denique celebrata legitur apud *Aegyptios extractio lapidis e veſica*, absque ulla tamen *inciſione*, aliter quidem ac *Lithotomi* noſtrates hodie facere ſolent. Modum ſectionis hujus talem celebrant, qualem jam nuperrime in Diſputatione Solenni de Lithotomia, Reſpondente D. *Eiſenbarth*, nunc Medicinae Licentiato, his propemodum verbis deſcripſimus: Colem nempe vento inflantes ſimul etiam orificium Veſicae diſtendunt, ut calculus pertranſire, colisque dilatatum meatum ingredi valeat, ex quo deinde foras protrahitur. *Alpinus* eum in finem meminit *Arabis* cujusdam *Haly*, qui ſuo tempore in extrahendis lapidibus *ſine inciſione* celeberrimus fuerit, & ſe inſpectore ex Duce quodam Turcarum multos calculos extraxerit: Quo in operé feliciter abſolvendo narrat

operatorem iſtum ligneam cannulam accepiſſe, longitudine octo digitorum & latitudine pollicis digiti, quam colis canali admoverit fortiterque inſufflaverit, atque, ne flatus ad interiora perveniret, altera manu extremum pudendi perſtrinxerit, foramen deinde cannulae clauſerit, ut virgae canalis intumeſceret ampliorque evaderet: Quo facto miniſter digito in ano poſito lapidem ad canalem virgae extremumque ejusdem deduxerit; Qui ubi praeputio lapidem adpropinquaſſe ſenſit, cannulam à virgae canali fortiter impetuque amoverit, ut magna dexteritate lapis fuerit extractus. Eandem operationem poſtea etiam in duobus Judaeis adminiſtratam vidit.

§. 29. Plura non addimus, ne per ſpecialia nimis nos diffundamus; Sufficit ex hactenus dictis clare patere, apud *Arabes* & *Aegyptios* jam vetuſtiſſimis temporibus Chirurgiam fuiſſe excultam. Quamvis autem prima inventionis gloria ipſis denegari nequeat: Pauciſſimi tamen illorum innotuere, quorum ſcripta ad noſtram usque aetatem pervenerunt. *Cornelius Celſus* meminit *Philoxeni* cujusdam, qui in *Aegypto* floruerit, & hanc medicinae partem, quae *manu* curationem morborum adgreditur, pluribus voluminibus comprehenderit.

§. 30. Ex *Arabibus* vero *junioribus*, qui tamen

tamen ad hanc aetatem nondum pertinent, ſolus forte *Albucaſa*, Arabs, qui cum *Bulcaſi* ſine dubio idem eſt, memorandus venit, qui non minus medicinae internae quam externae ſeu *Chirurgiae* laude clarus fuit, & ſecundum *Juſti* Chronologiam medicam floruit A. C. 1085. Quae autem tractationem Chirurgicam reſpiciunt, reliquis ſuis ſcriptis partim immiſcuit, nempe in medendi methodo certa, clara atque brevi, in qua pleraque, ad omnes medicinae partes, praecipue vero ad chirurgiam requiſita, una cum inſtrumentis utiliter & γραφικῶς depictis exponuntur; Partim vero in Libris III. quos de Chirurgia ex profeſſo ſcripſit, quique Baſileae impreſſi una cum *Rolandi* aliorumque ſcriptis chirurgicis prodiere: In illorum enim *primo libro* agit de cauteriis tam actualibus (per ignem) quam potentialibus (per medicamenta urentia.) In *Secundo* de ſectione & perforatione, nec non extractione dentium, ſagittarum, calculi, fœtus mortui, uti & de ſectione herniarum. In *tertio* vero de oſſibus luxatis reſtituendis & fractis coadunandis tractavit. Quibus adjectae ſunt variae inſtrumentorum figurae delineatae cum hiſtoriis chirurgiae à ſe adminiſtratae. Ut vel hinc ſolum ſpeculatorem ſeu purum putum theoreticum non fuiſſe ſatis adpareat.

 §. 31. Poſt

§. 31. Poſt *Albucaſam*, Arabem, referendus eſt *Alcanamoſalus* ſive *Canamuſalus de Baldach*, Armenius, qui de paſſionibus oculorum tractatum ſcripſit, quem cum chirurgia *Guidonis* aliorumque ſcriptis chirurgicis ediderunt Venetiis A. C. 1499.

§. 32. Caeterum *Avicenna*, pariter Arabs, magnique ingenii Medicus, qui imperante *Friderico Barbaroſſa* circa A. C. 1165. floruit, chirurgiam quidem ex profeſſo non tractavit; Interea tamen non pauca, egregiam hanc artem reſpicientia operibus ſuis immiſcuit, de ſolutione continui in vulnere, contuſione, attritione, caſu, offenſione, torſione, excoriatione, punctura, diſruptione, combuſtione, de apoſtematibus & puſtulis, de extrahendis infixis, de ulceribus, fiſtulis & cicatricibus, de oſſium corruptione & fractura, de reſtauratione oſſium & luxatione, de deligatione in genere &c.

§. 33. Ab *Aegyptiis* uti univerſa medendi ſcientia; Ita praecipue *chirurgia* ad *Graecos* tranſiit, ex quibus *Homeri* teſtimonio temporibus *belli Trojani* non pauci fuerunt, qui chirurgica ſua peritia inclaruerunt. Equidem abſurdum fuerit, *Homerum* ſcriptoribus chirurgis adnumeraſſe; Quid enim Poetae cum medicis vel chirurgis? Quia tamen nihilominus artis ipſius & nonnullorum in illa celebrium virorum, *Chironis*, *Achillis*,

Achillis, *Aeſculapii*, *Machàonis*, *Podalirii*, *Paeonis* aliorumque perhonorificam facit mentionem: Hinc utique in illos injurii eſſemus, ſi eos chirurgorum numero excludere vellemus.

§. 34. Florebat itaque circa haec tempora, quem primo loco producimus, *Chiron Centaurus*, *Aeſculapii*, *Achillis* aliorumque ejus temporis heroum communis Praeceptor, ſi *Hygino* talia commemoranti fides adhibenda. Is vero praeter medicinam *internam* excoluit quoque *externam* ſeu *chirurgiam*, quod inde non improbabile conficitur, quod, uti olim, ita in hunc usque diem ulcera incurabilia & ab aliis pro deſperatis habita, *Chironiana* vocari ſoleant. Eandem ob rationem *centauream*, qua *Chiron*, cum *Herculis* hoſpitio exceptus illius arma tractaſſet & ſagitta in pedem incidiſſet, curatus fuit, *Chironion* adpellare ſolent.

§. 35. Ejusdem diſcipulus *Achilles* ſimiliter chirurgiae fama clarus fuit: Dicitur enim *Telephum*, Myſorum Regem, cum Graecos ad Trojanam expeditionem proficiſcentes prohibere vellet, ne per ſuas ditiones tranſirent, primum vulneraſſe, ac deinde, cum à nullo alio curari potuerit, ſanaſſe, emplaſtro nempe ex rubigine, haſta decuſſa: Unde vulnera & ulcera maligna, curatu difficilia in hunc usque diem

Tele-

Telephia audiunt, quae *Achillem* medicum deſiderent. Herba *Achilleos*, quae vulneribus medetur, ab eo pariter denominationem ſuam traxiſſe dicitur, ſi *Plinio* credendum.

§. 36. Inter *Chironis* diſcipulos numeramus etiam *Aeſculapium*, quem Graeci *Aſclepium* dicerent: Unde etiam poſteri hujus familiae *Aſclepiadae* dicti ſunt. *Polydorus Vergilius* de rerum inventoribus *Aeſculapio* noſtro primam *Chirurgiae* inventionem vendicare non dubitat; Qua in re etiamſi utique à vero aberret, cum *Chironem* ſeſe priorem habuerit Praeceptorem: Tantum tamen inde adparet, ob peritiam chirurgicam Graecis eum non fuiſſe ignotum. In defectu vero peccant *Celſus*, *Plato* & *Plinius*, qui omnem ejus medicinam intra ſolos chirurgiae limites concluſam fuiſſe arbitrantur: Quia, etiamſi principalius Chirurgiam excoluerit, ſimul tamen internam non neglexit.

§. 37. Huic *Aeſculapio* duo fuere filii, *Machaon* & *Podalirius*, qui eam, quam à Patre acceperant, artem manu medendi, ſtrenue quoque exercuerunt. Nam ſecundum *Homeri* teſtimonium commilitonibus ſuis in bello Trojano non in morbis internis, ſed in vulneribus, ferro & medicamentis auxilium attulerunt. *Machaon* inprimis peritiae

peritiae ſuae Chirurgicae documentum edidit, quod *Menelao* vulnera deligaverit, cruore grumoſo prius expreſſo ac deterſo, lenientibus tandem remediis ſuperimpoſitis. Eadem dexteritate à claudicatione, ictu ſerpentis illata liberavit etiam *Philoctetem.* Aſt *Podalirius* primus venaeſectionis actum celebravit in duobus brachiis in filia Regis *Damaethi,* quae ex caſu ab alto graviter decumbebat, quo remedio feliciter convaluit. Eodem intuitu *Homerus* etiam *Paeonis* meminit: Unde *Aegyptios* Medicinae peritos à *Paeone* ortos celebrat.

§. 38. Memorandum hic reſtat, quod adhuc aliqui Graeci Scriptores de luxationibus & aliis ad rem chirurgicam ſpectantibus exſtent *Florentiae in Bibliotheca Medicea,* uti teſtis ejus rei eſt *Ferdinandus Balamius;* De quibus MSTis Chirurgicis Graecis in Bibliotheca Magni Hetruriae Ducis latentibus etiam loquitur *Johannes Sponius,* quem alias Antiquitatum exquiſita peritia ſatis commendavit eruditis: In itinerario enim, quo per Italiam, Dalmatiam, Graeciam & Aſiam, rara & curioſa ſibi viſa adnotavit, haec etiam leguntur, ubi de admirandis Florentiae ſermonem inſtituit: *Aliud Manuſcriptum commemorabo, quod ad artem, quam profiteor, pertinet, & quod omnium per univerſam Europam Bibliothecarum, quantum*

tum quidem novimus, unicum exſtat. E*j*
vaſtum volumen Graecum, continens chirur
giam antiquorum, Hippocratis, Galeni, Aſcle
piadis, Bythini (Ex quo duos facit per in
terjectum comma, cum unicus tantum ſit
nempe Aſclepias ex Bithynia vel Pruſien
ſis, ſicuti eruditis ſatis notum eſt) *Apollonii*
Archigenis, Nymphodori, Heliodori, Dioclis
Ruffi Epheſii, & Apollodori Cytienſis, in cuju
opere figurae cernuntur chartae pergamena
inſcriptae, ad modum reponendi luxatas par-
tes attinentes. Hujus ultimi pariter ac Aſcle-
piadis, Apollonii & Dioclis aliquoties in Plini
operibus fit mentio. Archigenis etiam apud
Galenum non infrequens eſt nomen: Verum
integra ipſorum opera nullibi reperiuntur; By
thini autem, Nymphodori & Heliodori vix no-
mina etiam nota nobis ſunt. Recte vero
animadvertit *Schellhammerus*, Conringii *pa-*
raphraſtes in *Adnotationibus ad* Ejusdem *in-*
troductionem Cap. XII. fraudi non exiguae
fore rei chirurgicae, ſi aeternis tenebris
tam eximium opus damnaretur, ſi nempe
omnia, ſicuti narravit *Sponius*, ita ſeſe ha-
berent: Verum curſoriam & feſtinatam
lectionem & perluſtrationem potius feſel-
liſſe optimum virum ſuſpicatur. Qua in
ſuſpicione ipſum efficaciter deinde confir-
mavit *Meibomius*, cujus etiam in Antiquita-
tum ſtudio dexteritas abunde nota eſt, per
literas

literas ipſum certiorem reddendo: Iſtum quidem librum, cujus meminit *Sponius*, notum ſibi eſſe, verum non in ſola *Florentina*, ſed etiam in *Regis Galliarum Bibliotheca* adſervari. Falſum autem eſſe, quod omnia illius codicis ſcripta ſint inedita: Falſum quoque, quod auctores ibidem citati usque adeo doctis ſint incogniti.

§. 39. Caeterum ex illuſtri hac Aſclepiadarum familia natus eſt *Hippocrates*, Cous, *Heraclidae* filius, medicorum, quotquot ante ipſum fuerant, facile Princeps, & primus veluti profeſſionis noſtrae ſtator atque conditor, qui etiam primus *chirurgicen* excolere & ſcriptis publicis declarare cœpit, quam deinde ſucceſſivis temporibus graece primum reſtitutam latinitate donavit & commentariis illuſtravit *Stephanus Manialdus*. Occurrunt autem inter ſcripta Hippocratica, quae Chirurgiam concernunt, ea, quae Tomo XII. editionis *Charterianae*, quam *Renatus Charterius*, Vindocinenſis, medicus Pariſienſis & Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarius & Profeſſor Ordinarius concinnavit, comprehenduntur, uti ſunt libellus de *officina medici*, liber unus de *vulneribus capitis*, liber unus de *ulceribus*, liber unus de *fiſtulis*, liber unus de *fracturis*, liber unus de *articulis*, Liber unus Hippocratis, qui *vectiarium* inſcribitur, liberque unus de *fœtus mortui extractione*. §.40.

§. 40. Ex quibus omnibus ſi compendioſum totius *Chirurgiae Hippocraticae* Syſtema concinnare placeret, mox adpariturum foret, pleraſque operationes hodie uſitatas noſtro non fuiſſe ignotas. *Chirurgias fractorum* & *luxatorum* ſic ſatis digne proſequitur, niſi quod has ultimas non tam ex profeſſo quam ex accidente tantum tractaverit. Quod vero *chirurgiam fractorum* attinet, ante omnia requirit *Hippocrates* κατατάσιν ſeu *membri extenſionem in diverſa*, utpote ſine qua *repoſitio* fieri nequit; Cui deinde ſuccedit Διόρθωσις ſeu *oſſium fractorum in locum ſuum reſtitutio*: Quod quo tempore fieri debeat, pariter indicavit *Hippocrates*. Scilicet aut intra tres dies priores aut poſt integram ſeptimanam: Tum enim periodum inflammationis ſymptomatumque cum eadem conjunctorum eſſe praeterlapſam, adeoque nihil funeſti amplius metuendum. Cui tamen *Hippocratis* adſerto recentiores merito contradicunt, in contrarium allegantes, medicum non ſolnmmodo certum eſſe non poſſe, an etiam intra deſignatum tempus omnia ſymptomata receſſura ſint, verum etiam, quod intra illud temporis ſpatium extrema oſſium facile corrumpi vel etiam callum contrahere queant, quo deinde caſu repoſitio non tantum admodum diffi-

difficilis, ſed & prorſus impoſſibilis futura eſſet: Quapropter non ſine ratione urgent, reſtitutionem quovis tempore tentari poſſe, niſi gravia quaedam id impediant ſymptomata. Qua vero ratione membrum ejusmodi fractum deligandum ſit, prolixe expoſuit libro de fracturis. Tempus denique conſolidationis pro varietate naturarum & oſſium variat: Oſſa namque cubiti juxta *Hippocratem* coaleſcunt plerumque triginta ad ſummum diebus; Os brachii diebus fere quadraginta firmatur. Tibiae oſſa quadraginta diebus, ſi recte curentur, coaleſcunt.

§. 41. In *chirurgia luxatorum* pariter duas requirit operationes miniſtras, nempe *anthitaſin* ſeu membri luxati extenſionem & *Diorthoſin* ſeu ejusdem reſtitutionem. Vult autem rurſus, expectandum eſſe *diem ſeptimum*, antequam repoſitio tentetur; Quia hoc termino elapſo inflammationem maximam partem evanuiſſe contendit; Contra quam tamen adſertionem recentiores iterum urgent, nihil impedire, quo minus vel ſtatim poſt factam luxationem vel intra *tertium* ad ſummum *diem* repoſitio adornetur, niſi ob metum inflammationis enormioris dolorumque exquiſitiſſimorum exacerbationem ab eadem deſiſtere cogantur. Organon vero, quo in humeri

luxati repoſitione utitur *Hippocrates*, *ἄμβη* vocatur, cujus pleniorem deſcriptionem exhibet *Foeſius* in Oeconomia *Hippocratis* ſub voce *ἄμβη*. Reliquum adparatum, qui ad chirurgiam luxatorum requiritur, prolixe proſequutus eſt libro de *articulis*, & qui *mochlicus* ſeu *vectiarius*, i. e. de oſſium per molitionem impellendorum ratione inſcribitur.

§. 42. Ridiculus eſt modus reſtituendi *prolapſum ani* in pueris, quo uſus eſt *Hippocrates*: Hic enim *procidentiam inteſtini recti* curaturus, puerum manibus devinctis vel alligatis ſuſpendi jubet, & pedibus quidem ſurſum vergentibus, licet pauco tantum temporis intervallo. Quae curandi ratio à moribus hodiernis usque adeo aliena eſt, ut etiam diſcipulis chirurgorum riſum extorqueat. Quod vero reliquas attinet circumſtantias magis convenientes, quae hanc chirurgiam concernunt, eae in libro de *fiſtulis* pluribus legi poſſunt.

§. 43. *Vulnerum*, praecipue *capitis*, tractationem chirurgicam ſpeciali itidem libro proſequitur, quorſum non ſolummodo integumentorum capitis laeſiones pertinent, ſed & *fracturae cranii* ejusdemque *depresſiones* verſus meninges, *fiſſurae*, quae nonnunquam usque adeo tenues ſunt, ut etiam viſum ſubterfugiant, imo ſpecillum elu-

eludant, ut ſymptomatum tandem vehementia malum ſeſe prodere & ad interitum deducere ſoleat, ipſae quoque *contrafiſſurae*, ſi altera parte os cranii fiſſum, altera vero ictus illatus fuerit. In plerisque hiſce vitiis ad *ſectionem per terebram*, quae ad *trepanum* noſtrum quam proxime accedit, inſtitutam, & quidem intra triduum deveniendum eſſe, ſuadet *Hippocrates*, ut calvaria aperta vel partes cranii depreſſae elevari vel ſerum aut cruor effuſus & reſtagnans evacuari, vel ſpicula oſſea, meninges pungentia & vellicantia extrahi queant. Nulla interim adparet ratio, quare *Hippocrates* vix ante diem tertium ſectionem & trepanationem inſtituendam eſſe ſuadeat, vel non ſtatim in principio usque ad ipſas cerebri meninges calvariam perforari debere adſerat, & quidem ex ficulneis hiſce rationibus, partim ne membrana diutius denudata maneat, partim vero, quod ante hoc tempus eadem haec membrana cranio arctius adhuc cohaereat & os exciſum ſine violentia avelli nequeat. Non adparet enim, quare meningibus per biduum ab *Hippocrate* interdictum major laeſio atque corruptio ab aëris externi allapſu metuenda ſit, quam diebus inſequentibus; Et praeterea in gravioribus capitis percuſſionibus dura mater à calvaria mox faciat ſeceſſum, qui certe ſi

factus non fuiſſet, nulla etiam cruoris inter calvariam & meninges effuſio vel extravaſatio aut fragmentorum oſſeorum ſeceſſio fieri potuiſſet. Imo ſi vel maxime daretur, ſeceſſionem iſtam factam non fuiſſe, evidens tamen eſt, damnum iſtud, quod ex protractione ſegmenti paulo violentiore metuit *Hippocrates*, vix tantum eſſe, quantum ab effuſo cruore metuendum, utpote qui ſi relinquatur, certiſſimam & vix evitabilem adfert perniciem.

§. 44. *Hippocrates* praeterea tentavit *extractionem fœtus mortui ex utero materno* ſive integri ſive fruſtillatim hoc modo: Injecto in mulierem tenui linteo & ſupra mammas praecincto, caput linteo obvelandum eſt, ne, quid facturus ſit operator, videat indeque perterreatur. Si deinde fœtus in obliquum prolapſus manum pudendis muliebribus eduxerit, eam chirurgus adprehendat, &, ut quam citiſſime foras educatur, omni modo conetur: Oſſibus vero brachii excoriatis & carne ſua denudatis, articuli eximantur. Poſtea fœtus caput foras protruſum eximendum vel integrum vel in partes comminutum, & per coſtas vel jugulum machaerium adigendum, ut ſic fœtus corpus collapſum faciliorem inveniat exitum.

§. 45. *Lithotomiam* ſeu ſectionem calculi veſicae

veſicae vix ipſemet ſuſcepiſſe videtur *Hippocrates,* quin potius eandem illis, qui majorem ea in operatione dexteritatem ſibi adquiſiverant, reliquiſſe; Imo Candidatis ſuis in *juramento* diſerte prohibuiſſe, ne ſectionem calculi ſuſciperent. Inde tamen nemini jus fasque erit concludere, chirurgiam jam tempore *Hippocratis* ſeparatam fuiſſe provinciam, à medicis derelictam atque in alios, qui ſucceſſu temporis κατ᾽ ἐξοχὴν chirurgi dicti ſunt, translatam. Obſervavimus enim in diſputatione noſtra, *de mutilo Medicinae corpore reſarciendo per chirurgiam & pharmaciam poſtliminio revocandas* & nuper adhuc in citata Diſſertatione de *optima methodo lithotomiam adminiſtrandi* idem repetiimus, tantum abeſſe, ut *Hippocrates*, quando ſectionem calculi junioribus Medicis diſſuadet, medicos chirurgiae peritos dehortetur, quo minus operationes ſic dictas manuarias ipſimet exerceant, ut potius eosdem talium rerum ſufficienti peritia inſtructos ſummopere laudet: Atque adeo famae tantum & exiſtimationi juniorum medicorum conſulere voluiſſe prudentem *Senem*, ne temere & praeter neceſſitatem tales ſuſciperent operationes, in quarum circumſpecta adminiſtratione ſufficientem nondum dexteritatem adquiſiviſſent, quaeque cum ambiugo & ancipiti

 eventu

eventu eſſent ſtipatae, qualis inprimis eſt *lithotomia*, ſicuti plurima funeſta exempla demonſtrant; Adeoque conſultius fore, ſi aliis, talibus in negotiis expeditioribus, ea res potius relinqueretur. Quoad reliquas vero operationes certiſſimum eſt, ipſum *Hippocratem* manibus ſuis easdem exercuisſe, ſicuti ex libris ejus de *officina medici*, de *fracturis*, de *articulis*, de *vulneribus capitis* &c. patet.

§. 46. Chirurgiam *Trichiaſios* ſequentem in modum ſuſcepit: Pilos in palpebris enaſcentes (τρίχωσιν vocant) curaveris, ſi ſubjectum acui foramen filum trahenti, in ſuperiore palpebrae parte acuminata & tenſa perpunctione facta deorſum tranſmiſeris, aliudque ſub hoc interiore parte trajeceris, fila extenſa conſueris & deligaveris, quoad decidant: Ac ſi haec quidem ſufficiant, bene ſe res habet; Alioquin ſi quid deficiat, rurſus eadem facienda eſſe praecipit.

§. 47. *Uſtionis* actum celebratiſſimum habuit in univerſa ſua praxi chirurgica; Unde ad ignem, reliquis omnibus fruſtra adhibitis, in caſibus deſperatiſſimis tanquam ad ſacram quandam anchoram confugere non dubitavit; Nempe in diuturnis atque vehementibus doloribus capitis, nec non in iis, quibus pulmones ſunt inflammati,

mati, non minus quoque in ſputo ſanguinis, priusquam ſcilicet ad ſputum puris deventum ſit: Similiter in hepate indurato vel inflammato, item in liene tumefacto his verbis: *Si ab his* (de quibus antea dixerat) *non melius habeat, ſplenem fungis inurito decem magnis cruſtis inuſtis, cum maximus fuerit ſplen & maxime elevatus.* Itidem ad articulos, qui ob multam humiditatem vel dolent vel luxantur, ſpeciatim in dolore coxendicum Lib. VII. aph. 60. ita inquit: *Quibuscunque à coxendicum dolore moleſtatis diuturno excidit coſta, iis crus tabeſcit & claudicant, ſi non urantur.*

§. 48. Neque vero tantopere mirandum eſt, *Hippocrati* crudelem hanc chirurgiam usque adeo ſolemnem & familiarem extitiſſe, cum antiquiſſimis jam populis uſitatiſſima fuerit, ſicuti ſuperius jam monuimus. Ipſemet de *Scythis* narrat, quod multis in partibus corporis uri ſoleant, ut naturale temperamentum hoc artificio emendetur. Ita etiam *Wilhelmus ten Rhyne* meminit, *Sinenſibus* atque *Japonibus* à longiſſimo retro tempore in uſu fuiſſe *moxam Japonicam*, quam adurunt, atque ita ſine magnis & exquiſitis doloribus ab arthritide liberant aegrotantes.

§. 49. In *empyemate pectoris* ad *paracentheſin* ſimiliterque in *hydrope abdominis* ad

eandem operationem deſcendebat: Cum enim obſervaret, ex medicamentis aut reliqua victus ratione auxilium non ſentire aegrotantes, nec ventrem emolliri, ſectione facta aquam educebat, eamque vel juxta umbilicum vel retro juxta ilia adornabat, cum triſti tamen prognoſtico, paucos inde evaſiſſe. Provide tamen monet alibi, ne operatio differatur, ſed ad eam quantocyus accedatur, antequam malum majora capiat incrementa, cavendo ſimul, ne confertim aqua evacuetur; Id enim ſine interitu aegrotantis certiſſimo fieri non poſſe.

§. 50. Similem chirurgiam ſuſcipit, ſi vel in ſcroto vel in femoribus ac tibiis talis *oedematoſus tumor* fuerit exortus, peracuto nempe ſcalpello multisque ac crebris vulnuſculis partes iſtas pertundendo; quibus factis ſanitatem mox promittit. Imo & in hydrope pectoris ad *paracentheſin* deſcendere auſus eſt, & locum quidem, in quo ſectio inſtituenda, ita invenire docet: Si ad latus intumeſcat thorax; mox indicatur, qua parte ſecandum ſit? Quod ſi vero hoc modo non indicetur, multa calida locum humeris comprehenſis concutere, & quo nam in latere magis fluctuet, auſcultare jubet; Quod cum intellexerit medicus, tertiam ab ultima coſtam ad os usque ſecare, deinde terebra acuta ulterius perforare,

rare, cumque perforata fuerit, paucam aquam educere deberet operator; Qua educta penicillum ex lino crudo in vulnus immitteret, & molli ſpongia ſuperimpoſita deinde, ne penicillus decideret, deligaret.

§. 51. *Venaeſectionem* conſideravit tanquam magnum ac vere hercicum remedium in variis ſonticis adfectibus, eamque non ſolummodo commendavit ſcopo *praeſervatorio*, ſed & *derivatorio* ac *revulſorio*: Hinc iis, qui poſteriore capitis parte dolent, in fronte inciſam venam prodeſſe enunciat: Similiter venae ſectionem tanquam valde proficuam expertus eſt in facilitando partu; Ut proinde non adpareat, quare tantopere abhorreat à venaeſectione eamque diſſuadeat mulieri in utero gerenti, & quidem metu abortus, praeſertim ſi grandior fuerit fœtus: Revera enim citra ſolidam rationem ſcrupuloſior hic fuit *Hippocrates*; quia quotidiana experientia contrarium hodie Practicis innotuit, quippe quae conſtanter teſtatur, eam inſignem potius gravidis utilitatem conferre, imo praeſentiſſimum eſſe abortionis alias forte ſecuturae praeſidium. Caeterum ſecuit *Hippocrates* non ſolummodo venas in cruribus pro conceptione, ſed & pone aures, in malleolis exterioribus, in poplite multiſque aliis in locis.

§. 52. Ipſa quoque cucurbitularum & *ſcopo* quidem tam *revulſorio* quam *derivatorio* adminiſtrandarum adplicatio non ignota fuit *Hippocrati*: Huc enim potiſſimum digitum intendit, quando mulieri menſtrua ſiſtere volens cucurbitulam quam maximam ad mammas adplicare jubet. Easdem ad uterum adponendas commendat quoque mulierculis concipere volentibus, & ad coxam, ſi uteri extra pudenda poſt partum difficilem procidant & ſcroti inſtar penduli ſint, dolorque imum ventrem, lumbos & inguina prehendat, & in genere uſum earundem ſatis declarat *libro de medico.*

§. 53. Suſcepit denique *Hippocrates gurgulionis inflammati & corrupti reſciſſionem.* Columellam quoque uteris vel pudendis muliebribus innatam praeſcindere jubet. *Polypi narium* chirurgiam, quando nempe ex mediis narium cartilaginibus veluti curculio dependet, vocemque obſcuram & inter dormiendum ſtertorem facit, ita adgreſſus eſt: Spongiam rotundam conciſam & in orbem veluti ſpiram contortam, lino Aegyptio convolvebat duramque reddebat, & ea quidem magnitudine, quae naribus ſit adaptata, ſpongiam deinde quadruplici filo lineo, quod cubitali ſit longitudine unumquodque, deligavit. Ea porro in unum

unum principium coacta, ſumptaque tenui virga ſtannea, quae altera parte acus foramen habeat, virgam acuta ſui parte in os transmiſit, & transmiſſo per acus foramen filo lineo, eam adprehenſam trahebat, donec filorum principium adprehenderet. Deinde ſpecillo ad ungulae ſimilitudinem biſulco curculioni ſubdito obnixe trahebat, donec polypum eduxerit: Cumque eundem extraxiſſet, & ſanguis fluere deſiiſſet, ſiccum linamentum ſpecillo convolutum immittebat, & de caetero aeris flore cum melle fervefacto linamentum illitum in nares impoſuit. Ulcere jam percurato plumbum ita efformatum, ut ad ulcus pertingat, melle illitum, donec convaleſcat, oppoſuit.

§. 54. De *reſtitutione fractorum* ac *luxatorum* ſuperius jam diximus. Hic tantum paucis adhuc repetimus, Διαναγκασμὸν ſpecialiter *Hippocrati* vocatum fuiſſe violentam alicujus membri reſtitutionem per *inſtrumentum coactorium*, quo fit reductio ſpinae perverſae, quam tamen chirurgiam latius deſcriptam legere licet in *libro de arte*.

§. 55. Talis propemodum fuit *Chirurgiae Hippocraticae* facies, quoad partem ejus *Organicam* ſeu *operatoriam*; Non tamen propterea exiſtimandum eſt, quaſi *pharmaceuticam* ſeu *medicamentariam* penitus neglexe-

glexerit, imo potius adfectuum externorum, ex pharmacia opem poſtulantium, hiſtoriam, licet non omnibus numeris abſolutam, aeque tradidit. Egit enim de abſceſſibus ſeu apoſtematibus, de cancro oris, faciei, mammarum & uteri, de carbunculo, carie oſſium, ſugillatione, fiſtula, gangraena, oedemate, parotidibus, ulcere &c. Quae omnia prolixius hic proſequi propoſitum noſtrum non patitur.

§. 56. Pergimus potius ad ſyſtema Chirurgicum *Galeni*, quippe qui ſexcentis annis poſt *Hippocratem* vixit, & quicquid obſcurum in ſcriptis ejus occurrebat, illuſtravit & feliciter interpretatus eſt. Prius vero, quam hoc faciamus, de Chirurgia *Cornelii Celſi*, qui centum circiter & quinquaginta annis ante *Galenum* vixit, paucula praemittenda ſunt. *Aurelius Cornelius Celſus* ex antiquis, qui de chirurgia latine ſcripſerunt, ferme ſolus ſupereſt, & temporibus *Tiberii*, *Caligulae*, *Claudii* atque *Neronis*, Imperatorum Romanorum vixit. De re medica Libros VIII. ſcripſit, in quibus multa etiam chirurgica comprehenduntur, v. g. de vulneribus eorumque curatione, de variis ulceribus, & abſceſſibus, ſcabie, impetigine, vitiligine, de adfectibus aurium, narium, dentium, de tonſillis & uvula, cancro oris, parotidibus, de ulceribus oris atque

atque gingivarum, de oſſibus fractis luxatisque, nec non aliis Chirurgiam concernentibus rebus.

§. 57. Caeterum à *Celſo* ſuam quoque denominationem trahit *lithotomiae* adminiſtratio, quam *minimi adparatus*, alias *Celſiſticam* vel *Guidonianam* vocant, quae ſine multorum pretioſorum inſtrumentorum adparatu ſuſcipitur, ſolo nempe cultello ancipiti & lapidillo ſeu unco cochleari formi, hunc in modum: Chirurgus ſeu operator unum vel duos anteriores ſiniſtrae manus digitos oleo inunctos ano immittit, iisque ad veſicam reclinatis calculum ad cervicem illius dirigit, deinde adductum perinaeo calculum digitis in ano relictis firmat, & ſuper calculo in perinaeo, latere alterutro, cultro biſeco inciſionem facit, moli calculi proportionatam & à podice quam remotam: Per quod vulnus calculus, ſi fuerit minor, digitorum ope protrudi & foras ejici poteſt: Si vero major extiterit, lapidillo demum extrahendus eſt. Notandum tamen, quod hic modus *lithotomiam* adminiſtrandi plerisque recentioribus nimis ſuſpectus eſſe videatur, qua de re tamen jam non eſt locus agendi.

§. 58. Habuit inſuper *Celſus* in uſu ſingularem *Gaſtroraphiae* rationem, quam *Cruciatam* vel *Celſiſticam* vocant, cujus haec

eſſe

eſſe ratio traditur: Inſtruuntur nempe ambo unius fili extrema acubus, quarum alteram dextra, alteram ſiniſtra manu teneat chirurgus, ita ut illa labii ſiniſtri peritoneum, muſculum & cutem (ab intra ſcilicet ad extra) haec vero ſeu ſiniſtra, neglecto peritoneo, labium oppoſitum exacte è regione prioris puncti (pariter ab intra) perforet. Poſtea permutatis acubus, ut dextra fiat ſiniſtra, ſimili modo perforet utrumque labium, attendendo, ut in latere illo, quo primum perfodiebatur peritoneum, hoc nunc relinquatur, atque ſutura pro rei exigentia repetatur. Si vero *Celſum* ipſum conſulere velimus, deprehendemus, hunc modum conſuendi abdomen à Chirurgia ipſius multum differre, utpote qui non peritoneum muſculis, ſed potius peritoneum ſeparatim, & hinc demum labia muſculorum & cutis ſeorſim conſuebat.

§. 59. Reliqua *Chirurgiae Celſiſticae* momenta ſuo loco relinquimus; Id vero ſilentio praetereundum non eſt, quod *Celſus* in ſuis ſcriptis non paucorum mentionem faciat, qui in arte chirurgica non levem ſibi famam temporibus *Ante-Celſiſticis* comparaverunt, v. g. *Ammonii* cujusdam, qui in Chirurgia quaedam invenit, duorum *Apolloniorum*, qui pariter in arte chirurgica nova quaedam detexerunt. Idem inter inſignes

ſignes chirurgiae Profeſſores Romae retu-
it quoque *Evelpiſtum*, qui paulo ante ipſius
tempora diſciplinam chirurgicam locuple-
tavit. *Evelpidem* laudat idem tanquam
inſignem chirurgum & Medicum oculari-
um. Meminit & alterius, cui nomen erat
Memigmenonis, cujus compoſitionem quoq;
adducit. Similiter *Gorgias* quidam, medi-
cus celebris in chirurgia quaedam, *Celſi*
teſtimonio, invenit. His adjungendus
Hieron, quem pariter, credit *Celſus*, multa
in chirurgia reperiſſe. *Meges* itidem, inſi-
gnis chirurgiae Profeſſor, ex ſententia *Celſi*,
ad locupletandam hanc artem multum con-
tulit, uti & *Tryphon*, qui Romae artem chi-
rurgicam profeſſus eſt eidemque non levia
dedit incrementa, quibus etiam jungendus
Soſtratus, *Ammonius Alexandrinus* multique
alii.

§. 60. Ex his memorari inprimis adhuc
meretur *Heraclides*, Tarentinus, qui ſecun-
dum teſtimonium *Celſi* aliquanto poſt *Apol-
lonium* & *Glauciam* floruiſſe & ante natum
Chriſtum 184. annis vixiſſe dicitur. Addi-
ctus alioquin fuit ſectae empiricorum &
ſuperſtes nobis manſit ejus fragmentum,
ad ſuperexcreſcentes carnes in ulceribus
aurium, quod apud *Actium Amidenum Tetra-
bibl. 11, Serm. 2. cap. 84.* exſtat.

§. 61. Nunc vero nihil obſtat amplius,
quo

quo minus ad ſyſtema Chirurgicum *Galeni*, inoffenſo pede progrediamur, quippe qui pleraque *Hippocratis* chirurgica commentariis ſuis illuſtravit: Poterimus autem ipſum tanto confidentius Chirurgorum claſſi accenſere, quia non ſolum egregiam artis chirurgicae habuit ſcientiam, verum etiam ipſa praxi (quod noſtra tempeſtate rariſſimum eſt) eandem exercere ſolitus eſt; Quandoquidem Romae non tantum venam ſecuit & vulnera deligavit, ſed & fracturas direxit omniaque ea fecit, quae chirurgica praxis ab artifice requirit. Teſtatur inſuper *Galenus* de ſemetipſo, quod Juvenis adhuc, annos 28. natus, cum ex Alexandria, ſchola medica tum temporis celeberrima, in patriam reverſus eſſet, curationem vulnerum nervorum invenerit, & rumore hinc ad Pontificem civitatis adlato, ipſi adhuc Juveni 29. annorum curatio gladiatorum tradita fuerit: Unde aliquot annorum decurſu (reliqui enim Pontifices gladiatorum curationem ſimiliter ejus fidei commiſerant) tantam ſibi dexteritatem adquiſiverit, ut ipſi ne quidem unus amplius ex vulnere nervorum vel alio quodam mortuus fuerit.

§. 62. Ante omnia requirit in chirurgo artem ſuam rite exculturo, ut *anatomiae ſit peritus*: Hinc redarguit ſubinde inſcitiam chirur-

chirurgorum propter ignorantiam anatomiae inprimis peccantium & *Libro III. administrationum Anatomicarum* aliquem introducit, qui, etiamſi haud parvae in chirurgia exiſtimationis haberetur, inſcitia tamen partium interiorum manum perreptantium, cum aliquando brachialis ſideratione laborantis os exſcinderet, interiorem manum ſenſus expertem reddiderit. Ipſe vero *Galenus*, cum alteri non multo ante circa eundem locum exciſionem molienti adeſſet, indicans quippe ſedem, qua primum tendo, qui nudam manus regionem ſubit, dilateſcere incipit, cum admiratione, ne ipſum divideret, obſervavit, illum quidem, qui ſic curabatur, ſenſu deſtitutum non fuiſſe.

§. 63. Rem ipſam, nempe *chirurgiam*, deſcribit eſſe *intrepidarum manuum cum experientia celerem motum vel actionem in medicina per manus artificioſam, convenientis finis compotem.* Quae ſive *definitio* ſive *deſcriptio* tolerari utcunque poteſt, ſi de parte chirurgiae organica ſeu operatoria ſermo fuerit.

§. 64. *Operationes* chirurgiae *generales*, quae *ſpecialium* veluti fundamentum ſunt, duas eſſe inſinuat, nempe *compoſitionem*, quam *ſyntheſin* alias vocant, & *diviſionem*, quam vulgo *diaereſin* adpellant artifices.

Compoſitionem docet multas iterum ſpecie
alias ſub ſe complecti , nempe oſſium fra
ctorum conjunctionem atque deligaturam
repoſitionem luxatorum , reſtitutionen
prolapſorum, v. g. inteſtinorum, uteri &c
gaſtroraphiam , curtorum in naribus, auri
bus labiisque adductionem. Similiterqu
diviſionem alias quoque ſpecies ſub ſeſ
comprehendere adſtruit, quorſum inpri
mis angeologiam, exciſionem, aduſtionem
limationem, raſionem, ſerrationem, abſceſ
ſuum apertionem, terebrationem &c. re
fert.

§. 65. Non ſubſiſtit vero ſolummodo i
generalibus, ſed etiam ad multas operatio
nes particulares progreditur , quas etian
pro genio temporum , in quibus vivebat
ſic ſatis congrue deſcribit : Cujus quiden
rei ex multis pauca tantum ſpecimina ex
hibebimus. In gravioribus calvariae, (u
ab operationibus capitis ordiamur) laeſio
nibus & fracturis ad meninges usque pene
trantibus, facta inprimis cruoris effuſione
commendavit uſum *terebellae*, quam *trepa-
non* hodie vocant ; Et quamvis parum tu
tameſſe hanc adminiſtrandi rationem exiſti
met, propterea quod , qui illam audaciu
tractant , duram membranam ſeu menin
gem , quae cranio ſubſternitur, non raro
violent ; Quae fortaſſis ratio fuit, quare
ipſe-

ipſemet eandem nunquam adgreſſus fuerit: Non diſſimulat tamen, ſe iſtam curandi rationem actu adgreſſurum & experturum fuiſſe, ſi diutius in Aſia permanſiſſet. Aſt Romae ſequendum fuiſſe morem civitatis, ubi maxima eorum operum pars iis permiſſa eſt, quos *ſecundum eminentiam* Chirurgos adpellant. Unde patet, timidiorem adhuc in adminiſtranda trepanatione extitiſſe *Galenum*, quod etiam tantopere mirandum non eſt, cum noſtris temporibus exquiſitior hujus inſtrumenti elaboratio & innocuus ejusdem uſus ab artificibus per crebriorem experientiam magis confirmatus ſit.

§. 66. Tradidit etiam *Galenus* chirurgiam *Aegylopis* vel *Anchylopis*, quo nomine intelligit abſceſſum ad angulum oculi, qui naribus propior eſt, pus continentem, quod erumpens aut os exedit aut ad angulum aut ad nares usque deſtillat. Curationem ſuſcipit ferramentis candentibus, quibus *aegylopas* ad os usque adurit; Simul tamen monet, nonnullos ferramentorum candentium loco os terebra potius perforare.

§. 67. Praeterea recenſuit multos oculorum adfectus chirurgiam poſtulantes, v. g. chirurgiam pterygii oculorum, glaucomatis, ſtaphylomatis, procidentiae, ſtrabiſmi,

 hippi,

hippi, chemoſeos, trichiaſeos, lagophthalmi, ectropii, chalazii, encanthidis, ſuffuſionis, ptiloſeos. Loquutus etiam eſt de sarcomate, polypo & ozaena narium, nec non luxationem maxillae inferioris eidemque convenientem chirurgiam deſcripſit, columellae relaxationem, cynanchen & paracynanchen.

§. 68. In graviore abdominis vulneratione cum inteſtini vel omenti procidentia conjuncta vehementer redarguit *Theſſalum* cum ſequacibus ſuis, quod ignoraverint, quid faciendum chirurgo tali in caſu incumbat? An conſuendum necne? Qua ratione conſuendum? Talia enim intelligi non poſſe monet, niſi ex diſſectionis ratione omnium, quae in abdomine continentur, partium natura addiſcatur; *Theſſalus* enim anatomiam omnem ſuſque deque habuit. Duas igitur eſſe curandorum talium vulnerum indicationes, primam nempe, ut, quod p. n. prolapſum eſt, illico in locum ſuum reponatur, quia alias inflatur & in tumorem adſurgit, quo ipſo deinde reſtitutio difficilior redditur, ut per anguſtius foramen intrudi nequeat. Secunda juxta *Galenum* indicatio eſt, ut vulnus conſuatur, ſicque ulterior prolapſus praepediatur: Quid enim juvat repoſuiſſe partem prolapſam, niſi futura ulterior prolapſus praepediatur?

§. 69.

§. 69. *Gaſtroraphiae* ſeu conſuendi abdominis hanc ineundam eſſe rationem praecipit: Nempe acum cum filo robuſto ſimulque incerato per labii alterutrius cutem & muſculos (intacto tamen peritonaeo) trajiciendam, hinc per labii oppoſiti peritoneum, muſculos & cutem, labiisque ad ſeſe mutuo adductis filum nodo firmandum: Mox deinde ſpatio exiliore interjecto iterum labium primo perforatum ab extra verſus intra perforandum, ita tamen, ut ſimul peritoneum, quod antea intactum fuerat relictum, filo comprehendatur, & hinc per oppoſitum labium ab intra verſus extra, peritoneum negligendo, acum trajiciendam, filumque iterum conſtringendum, idque totidem à Chirurgo punctis repetendum, peritoneum ſcilicet modo perforando modo liberum relinquendo, quot adducendis ad ſe mutuo labiis ſufficere videbuntur.

§. 70. *Herniis* ſolos homines & ſimias expoſitas eſſe docet, cujus rei rationem in ſitu illo erecto atque perpendiculari, quo homines incedunt, procul dubio quaeſivit. Deſcripſit inſuper varias earundem ſpecies, *exomphalon*, *bronchocelen*, *epiplo-omphalon*, ſeu omenti in umbilicum decurſum, *hydromphalon*, *ſarcomphalon*, *pneumomphalon*: Similiter & in ſcroto obſervavit *hydrocelen*,

len, *enterocelen*, *hydrenterocelen*, *cyrſocelen*
porocelen, *epiplocelen* & *entero-epiplocelen*
Fecit vero etiam mentionem *paracenteſeos*
quo nomine intellexit punctionem hydro
picorum ſive in abdomine ſive in ſcroto
quando nempe hae partes pro evacuatio
ne ſeri ibidem reſtagnantis perforantur.

§. 71. *Chirurgiam luxatorum fractorum-que* ſatis etiam adcurate tradidit. In luxatione oſſium tres diſtinguit ſpecies, nemp (1) *luxationem* ſeu *lapſum*, qui eſt oſſium quae per articulum vel coagmentationen moventur, delatio extra naturam. (2) *Exarticulationem* ſeu *eluxationem*, quae eſt Oſſis ſecundum naturam ſeſe habentis in alienum naturae locum ex profunda cavitate egreſſio. (3) *Dearticulationem* ſeu *deluxationem*, quae eſt oſſis evariatio, ſeu delatio à naturali loco ad eum, qui eſt praeter naturam. Deinde vero exponit etiam variarum luxationum per ſingulas corporis partes evenientium, ſpeciatim oſſis humeri vertebrarum ſpinae, femoris, genu, tali manus, digitorum &c. ſpeciales directiones, à *genere* ſemper ad *ſpeciem* deſcendendo.

§. 72. Eodem modo veram curandarum fracturarum methodum in oſſibus expoſuit, quam in mutua eorundem unione dicit conſiſtere; Qui proinde ſcopus, ut eo faci-

facilius obtineatur, ſecundum *Galenum* neceſſarium eſt (1) ut, cum oſſis fracti partes è directo non jaceant, in directum agantur & extendantur, nempe vel manibus ipſis, ſi parvum fuerit membrum, vel vinculis circumpoſitis vel plane mediantibus inſtrumentis, quam operationem alias ἀντίτασιν vocant operatores. (2) Ut membro fracto abunde retracto, nulloque amplius metu, ne in adducendo oſſa ſeſe mutuo tangant, ſuperſtite, in directum opponatur, & mutua commiſſio permittatur: Tandemque deligatura commoda oſſa recens commiſſa muniantur & ad quietem reponantur, ita tamen, ut ſecundum auctoris noſtri conſilium *ligatura* nec nimis *laxa* nec nimis *arcta* ſit, cum *haec* dolorem excitet, *illa* vero oſſa moveri permittat. Reliquas deligationum regulas, earumque varietatem, quam diverſa partium adfectarum indoles requirere videtur, abunde variis in locis explicuit.

§. 73. Neque vero ſolum ita in genere Chirurgum inſtruxit, quid in fracturis oſſium faciendum ipſi incumbat, ſed & varias earundem differentias, diverſosque fracturarum per ſingulas corporis partes contingentium modos expoſuit, v. g. quid facere oporteat chirurgum, ſi fracturae cum vulnere conſtiterint, qualis deligationum ſin-

gulis convenientium ſit œconomia? Quales competentium organorum formae, uſus & adplicatio? Quomodo fracturae ſint tractandae, ſi cum ulcere ſint conjunctae? Qua ratione ex fracturis oſſa ſint eximenda? Quae ſit ratio fracturarum ſine ulcere, quaeque illis idonea chirurgia competat? Quot denique operationes in curatione fracturarum adhibendae ſint? &c.

§. 74. *Arteriotomia* quamobrem *Galeno* ſuſpecta fuerit, & hinc a miſſione ſanguinis per arterias quodammodo abhorruerit, ipſemet exponit: Quia nempe in ſua praxi adnotavit, quosdam ab arteria interiore in cubito venae ſubjecta, ſecta interiiſſe, nonnullos vero ob vinculum circumpoſitum, medicis eruptionem ſanguinis ſiſtere volentibus, in gangraenam incidiſſe, alios plane anevriſma inde contraxiſſe, ex quo tandem mortui ſint.

§. 75. *Hirudinibus* vero atque *cucurbitulis* eo majorem adſcripſit efficaciam in certis quibusdam adfectibus: Ita enim inquit: *Incipientes aut etiam vigentes capitis gravitates & dolores à plenitudine per cucurbitulam in occipite poſitam vel ſolam vel cum ſcarificationibus juvat: Verum totum corpus antea vacuatum eſſe oportet.* Nam & *ſcarificationis* ingentem uſum agnovit hiſce verbis: *Quae ex mulieribus albidiores ſunt, ſanguinem tenuem*

quem coacervare ſolent; quocirca adhibitis malleolorum ſcarificationibus maxime juvantur. Et paulo poſt; *Carnoſis vero & candidis parvae inſunt venae, quibus malleolos ſcarificare quam venam ſecare praeſtiterit, quippe cum hae parvas in cruribus venas habeant.*

§. 76. Denique *Galenus* noſter ſollicitus etiam fuit de extirpandis *Verrucis*, in ſuperficie cutis hinc inde emergentibus, & quidem per *exciſionem* radicatam, verrucam prius circumfodiendo, deinde vero volſella adprehendendo & exſcindendo; ita enim inquit Galenus: *Poſſet quis etiam ſcalpro myrtaceo, ut & vocato σκολοπομαχαιρίῳ, ſi manibus exercitatus fuerit, exſcindere illas, cum propriam habeant circumſcriptionem, qua diſpeſcantur à cute.* Probatur vero eidem eodem loco modus extirpandi verrucas per *evulſionem*, ſive ore fiat ejusque ſuctu ſive manu: De hac enim evulſionis ratione ita ſcribit Galenus: *Nuper quidam Romae excogitavit medicinam, quae ore fit, verrucarum tam ſimpliciter dictarum quam penſilium: Primum enim eo modo ori adpoſitis, quo ſugentes ſolent, & attrahebat & quaſi vecte emoliebatur, poſtea impreſſis prioribus dentibus, adprehendens totas evomebat.*

§. 77. Taceo chirurgiam aneuriſmatum,

ſectionem atretarum, chirurgiam atheromatum & ſteatomatum, depoſitionem cataractae, chirurgiam polypi & ozaenae, varicum in cruribus, variorum uteri adfectuum chirurgiam poſtulantium, ſarcoſeos nempe, carcinomatis, ſcirrhi, abſceſſuum &c. convenientem tractationem, procidentiae Uteri ſive verae ſive ſpuriae, apoſtematum apertionis chirurgiam aliasque plures, quas ſecundum primarias ſuas circumſtantias hinc inde deſcribit, in quibus tamen hac vice recenſendis non placet eſſe prolixioribus. Verbo tantum meminimus adhuc carcinomatum mammarum vel praecidendorum vel ferramentis non admodum candentibus vel ignitis perurendorum; Ubi tamen monet *Galenus*, eſſe quosdam, qui ferramentis ignitis ſimul ſecantibus & adurentibus utantur. Suſcepit vero etiam, quod obliviſci non decet, curationem nervorum tam punctim quam caeſim vulneratorum, uti & nervorum contuſorum: Sicuti etiam *decurtatorum chirurgiam* nobis reliquit, eorum nempe, quae in labiis, narium alis & auribus deficiunt, artificialem reſtitutionem.

§. 78. Non vero ſolummodo tractavit *Galenus* partem chirurgiae *operatoriam*, verum etiam *medico-pharmaceuticam*. Egit enim de vulneribus v. g. & ulceribus, tam in

in *genere* quam in *ſpecie*, uti & de tumoribus. *Ulcerum* curationem proſequutus eſt per ſingulas corporis partes tam internas quam externas, prout nempe occurrunt in auribus, oculis, faucibus & pariſthmiis, in pectore, pulmonibus, aſpera arteria, in ventriculo, inteſtinis, veſica urinaria, renibus & tibiis. Adnotavit inſuper, chironianorum & telephiorum ulcerum ſupervacaneam quidem eſſe adpellationem; Ipſemet tamen ulcerum dyſepuloticorum, cacoëthicorum, rebellium ac deſperatorum, depaſcentium, cancroſorum ac phagadaenicorum non infrequentem mentionem injicit. Regula inſuper, quam de ulceribus ponit, omni exceptione major eſt: Nempe *ab interioribus verſus exteriora moveri, bonum eſſe, è contra, malum.*

§. 79. Abſceſſum dixit eſſe partium ex phlegmone in pus tranſmutationem, eumque variis modis generari, nempe vel per effluxionem & decubitum, vel per transmiſſionem humorum à partibus robuſtioribus ad imbecilliores; Negligentius vero tractatos ejuſmodi abſceſſus degenerare in ſinus, neque partibus tantum ſolideſcentibus mollioribus ſed & ſolidis ipſisque oſſibus accidere. Tradidit vero etiam curationem ambuſtionum, anthracum ſeu carbonum, bubonum, parotidum, ſtrumarum, aphtha-

aphtharum, ulcerum cancroſorum ipſorumque cancrorum tam occultorum quam exulceratorum, ſcirrhi, eryſipelatis, rhagadum ſeu fiſſurarum, œdematis, gingivarum denigratarum, putridarum, ſanguinolentarum ſeu ſanguinem facile fundentium, exeſarum & facile labantium, & in quibus carnes peregrinae facile excreſcunt, ſyringae ſeu fiſtulae, teredinis ſeu pertuſionis oſſis ex corruptione, rimarum & ſciſſurarum in labiis, exulcerationum oris interiorum, abſceſſuum, tonſillarum, gangliorum, ecchymoſeos, tophorum &c. Denique non neglexit etiam variarum defœdationum cutanearum, ſcabiei, herpetis, lichenum &c. convenientem curationem, quae omnia tamen prolixius hic proſequi non attinet.

§. 80. Caeterum *Plinius* in ſua hiſtoria animalium tanquam famoſum Chirurgum introducit *Archagatum*, Peloponnenſem, *Lyſaniae* filium, cujus aetatem nonnulli ultra *Galeni* tempora extendunt, quique primus ex medicis Romam venerit, cum hactenus urbs ampliſſima iisdem caruerit. Fuit autem hic *Archagatus*, *Plinio* ita referente, ſecundum eminentiam vocatus *vulnerarius* ejusque adventus civibus Romanis initio mirifice gratus extitit: Mox vero à ſaevitia ſecandi urendique tranſiit nomen in carnificem, & in taedium ars omnesque medici.

medici. Quicquid vero horum ſit, illud ad minimum clare inde eluceſcit, chirurgiam magis quam medicinam internam tractaſſe *Archagatum*.

§. 81. Citatur etiam à *Galeno Archigenes* quidam, Apameus, *Agathini* diſcipulus, medicus ſui temporis celeber & *Philippi*, Regis Syriae archiater. Scripſit jam ante *Galenum* de locis adfectis, ſed ejus ſcripta ad noſtram usque aetatem non pervenerunt. Occurrunt tamen varia fragmenta apud *Aetium Amidenum*, ex quibus patet, chirurgiam quidem organicam ipſum non attigiſſe, multorum tamen adfectuum particularium curationem tradidiſſe, nempe de abſceſſu hepatis ejusque exulceratione, de cancris mammarum, de abſceſſu uteri, ejusque exulceratione & cancro, de ſuppuratis pectore, de lepra & elephantiaſi &c. Scripſit vero etiam de dropace & picatione & ſynapiſmo. Floruit ſecundum *Juſtum* in Chronologia Medica A. C. 108. ſub Imperatore *Trajano*, aſt ſecundum *Renatum Moreau* A. C. 120. ſub Imperatore *Hadriano*.

§. 82. Similiter *Aretaeus*, Cappadox, *Galeni* aetatem tranſcendere & ad ſeculi primi poſt Chriſtum natum ſcriptores referendus eſſe videtur. Hic *Aretaeus*, quem *Junius Paulus Craſſus*, Patavinus, latine interpre-

pre-

pretatus eſt, ſicuti & *Ruffum Epheſium*, vixit temporibus *Strabonis* & *Gregorii Nazianzeni* ſub Caeſare *Auguſto*, eſtque *Galeno* ſine dubio antiquior, etiamſi hic nullam ejus mentionem faciat, cum tamen alios multos veteres medicos commemoraverit. Scripſit lingua *Jonica* & *Hippocraticam* dicendi *rationem*, nempe brevitatem cum gravitate quadam conjunctam aemulatus eſt. Multum certe in vetuſto hoc auctore edendo praeſtitit interpres, quia carioſus fere redditus veterrimus ſcriptor, vulneribus multis confoſſus in manus ejus incidit: Hinc exemplaribus pluribus collectis deficientia reſtituit, depravata caſtigavit & confuſa in ordinem redegit. In libro primo de cauſis & ſignis morborum acutorum haec deprehendo ad chirurgiam pertinentia, nempe caput ſeptimum de angina, octavum de adfectibus columellae, nonumque de ulceribus columellae. In libro vero primo de cauſis & notis diuturnorum adfectuum occurrit caput nonum de ſuppuratione in pectore, & decimum de vomica pulmonis. In libro ſecundo, capite ultimo agitur de elephantiaſi. Eodem ordine tractat etiam de morborum tam externorum quam internorum curatione, & libro quidem primo de curatione morborum acutorum capite ſeptimo de

cura-

curatione anginae & octavo de medicatione vitiorum columellae. Aſt libro primo de curatione morborum diuturnorum & capite quidem nono proſequitur curationem purulentorum , decimo curationem abſceſſuum pulmonis, decimo tertio curationem ulceris jecoris & effuſionis puris. Libro vero ſecundo, capite tertio calculorum & ulcerum in renibus, ultimo vero elephantiaſios curatio traditur.

§. 83. Galeni contemporaneus fuit *Soranus*, Epheſius, methodicae Sectae conditor, qui poſteaquam Alexandriae aliquamdiu commoratus fuerat, Romam tandem ſeſe contulit, *Trajano* & *Adriano* ad clavum Imperii Romani ſedentibus. Inter fragmenta ejus, quae hodieque reſtant, reperitur etiam tractatulus de faſciis, qui ad noſtrum argumentum ſpectat. Aſt *Cælius Aurelianus*, Sorani epitomator, quem propterea *latinum Soranum* vulgo adpellitant, ipſemet quidem chirurgica non tractavit, interim tamen *Socratis* cujusdam meminit, qui chirurgus profeſſione fuerit.

§. 84. Reliqui tam Graeci quam latini ſcriptores & artis medicae veluti principes, qui poſt *Hippocratem* & *Galenum* vixerunt, ſunt ex Graecis *Ruffus Epheſius*, *Oribaſius*, *Paulus Aegineta*, *Aetius*, *Alexander Trallianus*, *Actuarius*, *Nicolaus Myrepſus* & alii; Ex

latinis

latinis vero *Scribonius Largus* & *Marcellus Empiricus*, una cum aliis, quorum unius nomen ignoratur; qui omnes junctim una cum *Aretaeo* prodiere ſtudio *Henrici Stephani* Pariſiis anno 1567. duobus voluminibus in folio.

§. 85. Circa aetatem *Tiberii*, Caeſaris Romanorum floruit *Scribonius Largus*, Empiricus, qui librum reliquit de compoſitione medicamentorum, inter quae non pauca leguntur, tam quae nomen antiquorum quorundam Chirurgorum prae ſe ferunt, quam etiam, quae certis adfectuum generibus dicata & conſecrata ſunt, ſicuti hoc nomine potiſſimum referri merentur medicamenta ad ſordida ulcera & cruſtas, quos ἐσχάρας Graeci vocant, item ad carbunculos, puſtulas, aſpritudinem palpebrarum recentem, ad tumorem & exulcerationem aurium, aliud ad carnem in foramine aurium excreſcentem, ad parotidas, ad ulcera in naribus, ad cancrum in ore, ad faucium & uvae tumorem, ad ſuppurationem faucium, ad anginam & ſtrumas, ad duritiem mammarum mulierbrium, ad tumorem & exulcerationem veſicae. Porro emplaſtrum viride *Triphonis* chirurgi ad fracturam oſſium in capite, item emplaſtrum viride ad vulnera recentia & emplaſtrum *Traſeae* ad eadem, emplaſtrum viride *Gli-*

conis

ͻnis chirurgi ad omnia corporis vitia miri-
cum, emplaſtrum nigrum *Traſeae*, empla-
rum nigrum *Ariſti* chirurgi, emplaſtrum
ubrum *Dionyſi* chirurgi, emplaſtrum lu-
eum *Evelpiſti* chirurgi, empl. album ad ci-
atricem ducendam *Pacchii Antiochi* ad per-
iones, ad combuſta & ulcera; quae ca-
oethica dicuntur, & plures aliae compo-
tiones, quas brevitatis ſtudio praete-
eo.

§. 86. Sub finem ſeculi primi & initium
ecundi, imperante *Trajano*, celebris fuit
uffus Epheſius, quem *Junius Paulus Craſſus*
atine interpretatus eſt, non integrum ta-
nen tractatum, ſed librum primum tan-
um; Duo enim reliqui ab aliis verſi ſunt.
Vixit *Trajani* & *Adriani*, Romanorum Cae-
arum temporibus, Epheſi, Joniae totius ur-
e celeberrima & minoris Aſiae metropo-
, ubi etiam natus eſt; Unde communiter
pheſius dicitur. De veſicae renumque ad-
ectibus brevem libellum ſcripſit, in quo,
uae chirurgiam reſpiciunt, quaedam re-
erio, & quidem capite ſecundo & tertio
e inflammatione renum ejusdemque cu-
atione, capite quinto de venaeſectione,
ctavo de ſuppurationum & inflammatio-
um ſanatione, nono de diureticis, quae
bſceſſus frangunt, decimo de iis, quae mo-
endo ulcera detergunt & undecimo de

cataplaſmatibus, quae ulceribus putreſcentibus proficua ſunt.

§. 87. Seculo quarto innotuit inprimis *Oribaſius*, pariter medicus Graecus, qui poſt CHRISTUM natum anno 265. claruit, & incomparabili, qua gaudebat, doctrina tantam ſibi exiſtimationem peperit, ut ferme idem, quod primi medicinae inventores, fatum ſubierit, nempe in DEOrum numerum referri meruerit. Reliquit nobis duos libellos, ad noſtrum argumentum proxime ſpectantes, alterum de *Machinamentis ex Heliodoro*, quem *Vidus Vidius* interpretatus eſt, alterum vero *de laqueis ex Heracle*, quem idem *Vidus Vidius* in ſermonem latinum tranſtulit, ambo autem ſuis figuris exquiſite illuſtrati ſunt. Juſſu Imperatoris *Juliani* univerſam *medicinam Galenicam*, nimis quippe diffuſam, in compendium redigere ac proinde in 72. libros cogere conatus eſt: Cum vero & illud diffuſius eſſe cerneret opus, rurſus in 8. libros ad *Euſtatium* filium totum redegit, nimia tamen brevitate, ut pleroſque morbos non attingat, neque cauſas & ſigna obſervet. Taceo, quod curationem, in qua tamen totius rei momentum ſitum eſt, omittat.

§. 88 Chirurgica vero non pauca dicto in opere occurrunt, & in libro quidem *primo* agitur inprimis de venarum & arteriarum

riarum ſectione, de cucurbitulis, de hirudinibus, ſcarificatione, de fomentis, cataplaſmatis, lotionibus & balneis, de dropacibus, ſinapiſmis aliisque ruborem inducentibus remediis. In *tertio* libro habentur deſcriptiones unguentorum, emplaſtrorum, malagmatum, cataplaſmatum, inunctionum & ſuffituum. *Septimo* libro comprehenduntur omnium ulcerum, cicatricum, nervorum convulneratorum, defluxionum, gangraenae, abſceſſuum, ſtrumarum, fiſtularum, formicarum & elephantiae curationes. Libro *octavo* agitur de inflammatione & eryſipelate cerebri, de alopecia & ophiaſi, de achoribus ſeu ulceribus capitis manantibus, de carbunculo, encanthide &c. In libro *nono* tractatur de purulentis ex *Galeno*, de renum & veſicae inflammationibus, item de meatuum urinae exulceratione, de veſica ſcabioſa, de ulceribus veſicae, de inflammatione uteri, de abſceſſibus, ulceribus, fiſſura & cancro vulvae, de phymo uteri ejusdemque procidentia &c.

§. 89. *Scarificationem* inprimis magni aeſtimavit *Oribaſius*, quando ita de ea loquitur: *Plethoram commoderatam, quae aliquid mali factura ſit, ac jam everſionem in morboſum ſtatum attingat, tibia, quae ſcarificationibus vexata fuerit, innoxiamque totam, quam*

volumus, ſanguinis illigationem reddiderit, citra validam totius molis commotionem ſolvit. Et alibi de ſeipſo haec memoriae prodidit de effectibus ſcarificationis: *Sane dum peſtilentia vehemens Aſiam deprehendiſſet, multosque perdidiſſet, ſecunda morbi die, remisſione febris facta, crus ſcarificavi, duasque fere ſanguinis libras detraxi, hacque de cauſa periculum vitavi: Plerique igitur alii hoc etiam praeſidio uſi ſuperſtites evaſere; Erant enim plenitudinis ſigna, illique praecipue ſalvabantur, qui ſanguinem copioſum exhauriebant.* Habuit itaque, uti ex dictis patet, ſcarificationem pro vicaria venaeſectionis.

§. 90. Pertinet quoque ad hanc aetatem *Leonida*, qui A. C. 413. vixit, aliterque non innotuit, quam variis fragmentis, quae apud *Aetium Amidenum* exſtant, in quibus chirurgici argumenti ea ſunt, quae agunt de brachiorum & crurum dracunculis, de ſtrumis & pultacei atque mellei humoris tumoribus, de mammarum fiſtulis, cancris earundemque induratione, de prolabentis ſedis peruſtione, de abſceſſibus ſedis, fiſtulis ani, rimis pudendorum herniaque inteſtinorum.

§. 91. Poſt *Oribaſium* aetate *Theodoſii Magni* ejusque filiorum innotuit *Marcellus*, empiricus, qui medicamentorum potius colle-

collector, quam medicus dici meretur. Hic *Marcellus*, Burdegalenſis, empiricus Gallus floruit ſub *Gratiano* & *Theodoſio* Imperatoribus A. C. 388. & de medicamentis empiricis, phyſicis atque rationalibus librum edidit, quem in plerisque locis ſuae integritati reſtituit *Janus Cornarius*, medicus & phyſicus *Northuſienſis*. Inter iſta medicamenta etiam occurrunt, adfectibus externis opponenda, alopeciis & tineis, vitiis labiorum & gingivarum, ulceribus oris & fœtori, linguae puſtulis & palati exulcerationi. Recenſentur etiam remedia ad anginam vel ſynanchen, ad ſtrumas, parotides, mentagram, impetiginem, elephantiaſin & lepram, ad exanthemata & maculas, livores tumoresque de facie abolendos & ad genas ſcabras, ad ani vitia & fiſtulas podicis atque haemorrhoides, ad crurum & tibiarum ulcera & varices, ad callos & clavos pedum atque verrucas, ad perniones, ruptos pedes, condylomata nervorum & articulorum, & ad extrahendum ea, quae caſu calcata fuerint, vel quae corpori inhaeſerint, & multa talia. Quia vero totus *Marcelli* liber empiriam redolet, ſicuti & ipſe talem medendi methodum ſequutus eſt, ex obſervationibus quippe cum aliorum tum ſui ipſius congeſtus, & ſuperſtitionem anilem in multis redolens, praeprimis

 ubi

ubi carmina attexit & incantationes plane ridiculas, aliquando graecas, aliquando lingua ignota, item characteres peregrinos, amuleti gratia adligandos: Vix adparet, ex talium praeſtigiorum & deliramentorum mole aliquid magni expectandum eſſe.

§. 92. Ad ſcriptores Medico-Chirurgos ſeculi quinti referimus *Paulum Aeginetam* & *Aetium Amidenum*. Quod *Paulum Aeginetam* attinet, fuit ille medicus graecus inſignis, qui ſub *Honorio* ac *Theodoſio* juniore A. C. 420. floruit. Hic equidem opus ſuum inſcribit de *re medica*, interim tamen *Chirurgica* non omiſit. Laudi merito ipſi ducitur, quod ſuo jam tempore inſtrumenta medicinae rite à ſe mutuo diſtinxerit; Poſtquam enim *libro quarto* egit de ulceribus & abſceſſibus, quatenus medicamentis tractari debent, & in *quinto* de plagis ac morſibus venenum ejaculantium, imo de morſis à cane rabido, uti & de morſis à cane non rabiente itemque de morſis ab homine tractavit, libro demum *ſexto* inculcat, qua ratione dicti adfectus manuum quoque ſubſidio indigeant, tum circa carnem, ubi etiam de extractione telorum agitur, tum etiam circa oſſa, ubi inprimis de fracturis & luxationibus ſermo inſtituitur.

§. 93. Quod vero *Aetium*, Amidenum Meſopotamiae ſpectat, ille pariter medicis Grae-

Graecis adnumeratur, ejusque libros medicos, quibus univerſam medicinam in breves quasdam ſummas contrahendi conſilium habuit, latina interpretatione donavit *Janus Cornarius*, medicus & phyſicus Francofurtenſis, qui proinde totum opus in quatuor tetrabiblos, i. e, quaterniones univerſales, ſingulos quatuor ſermones ſive libros partiales continentes diſtinxit, ſicuti ad eum modum Auctor ipſe hac librorum diſtinctione uſus eſt. Floruit tempore *Conſtantini* & *Theodoſii* Imperatorum A. C. 350. & chirurgica quidem ex profeſſo non tractavit, interim tamen, cum univerſam rem medicam Libris VI. complexus eſſet, adfectuum quoque externorum, chirurgicam opem poſtulantium mentionem fecit, v. g. de contuſionibus, de varicibus, de œdemate, ſcirrho, ſtrumis, meliceride, ſteatomate, atheromate, gangliis &c.

§. 94. Speciatim autem *Tetrabibl. 1. Serm. III.* egit de venaeſectione, arteriotomia, uſu cucurbitularum, ſcarificatione, ſanguiſugis, de fomentis & cataplaſmatis, de dropace & picatione, de ſinapiſmis. Sermone IV. praeter alia diſſeritur de aphthis ſeu ulceribus oris ardentibus, de eximendis devoratis ſpinis aut feſtucis, de medicamentis ad ulcera capitis & achores, ad ſedem infantum procidentem, ad procidentem puerorum umbilicum &c. §. 95.

§. 95. Porro *Tetrab. II. Serm. I.* agitur de achoribus & reliquis capitis puſtulis, de medicamentis ad ulcera in meatu auris, ad corruptiones & foetores aurium, ad ſuperexcreſcentes in aurium ulceribus carnes, de calculis aliisque corporibus peregrinis in aurem illapſis educendis. De parotidibus, de ozoenae & polyporum curatione. *Sermone tertio* tractatur de ulcerum animalculis aut paleis aut arena educendis, de ulcerationibus ab igne, de ſugillatione, de puncturis oculorum, de oculi prolapſu, de carbunculis in palpebris, de canceratis oculorum ulceribus, de ſtaphylomatis eorumque chirurgia, de plerygiis eorumque chirurgia, de carnis in angulo oculi incremento ejusdemque chirurgia, de palpebrarum concretione, de phalangoſi, de everſione palpebrae ejusque chirurgia, de lagophthalmis, de hordeolo & aegylope. *Sermone quarto* occurrit tractatio de hypopiis, de impetiginoſis tum menti tum reliqui corporis tumoribus, de medicamentis ad labiorum fiſſuras, ad inflammatas, cruentas, excreſcentes, putreſcentes ac tumentes gingivas, ad corroſas & ab ulcere ſerpente infeſtatas gingivas, de fiſtulis gingivarum, de dentibus lima atterendis, de curatione dentium eroſorum, de remediis ad denigratos liventesque ac

rare-

arefactos dentes, de ancylo-gloſſis, de ra-
unculo ſub lingua, de aphthis, de gurgu-
ionis adfectionibus, de ablatione columel-
ae, de tonſillarum inflammationibus, de
ngina ejusque ſpeciebus, de extrahendis
pinis aliisque, quae in aſperam arteriam
elabuntur, deque pectore ſuppuratis.

§. 96. In *Tetrab. III. Serm. I.* agitur de abſceſſu
n inteſtinis; *Sermone ſecundo* de inflam-
natione & abſceſſu hepatis, deque hepatis
xulcerati curatione, de ſplenicorum uſtio-
e, de chirurgia hydropis ſubter cutem.
ermone tertio de duritie & ſuppuratione
enum, de veſica ſcabioſa, de ulceribus ve-
icae; Et *Sermone quarto* de uſtione in ge-
ere & ſpeciatim in morbo articulari.

§. 97. In *Tetrab. IV. capite primo* agitur
e inflammationibus, fiſſuris & thymis in
ede, de haemorrhoidibus earumque chi-
urgia, de ano procidente ejusque peru-
tione, de abſceſſibus ſedis, de fiſtulis ani,
e ulceribus ſedis proſerpentibus ac depa-
centibus, de thymis ac rimis in pudendis, ad
nflammationes & nomas pudendorum, ad
arbunculos pudendorum, ad intertrigines
nter femora ex itinere obortos, ad inter-
a in meatu urinario ulcera, ad ſcabioſum
& pruriginoſum ſcrotum, de teſtium &
crotí inflammatione, de hernia aquoſa,
nteſtinali & inguinali, de ſauciatis nervis

& nervorum denudatorum ac vulnerato-
rum in ulceribus curatione, de nervoru
contuſione, de abſceſſibus, de cavis ulceri-
bus non malignis, de carnibus in ulceribu
ſuperexcreſcentibus, de malignis & aegr
recipientibus cicatricem ulceribus, de u
ceribus, quae poſt obductam cicatricen
iterum rumpuntur, de ſinubus, de fiſtuli
de gangraena & ſphacelo, de canceratis tu
moribus, de carbunculis & eryſipelate, d
herpete, de terminthо, de ambuſtionibu
ad contuſa & ſugillata, de ruptione, de vul
ſione, ad luxatos articulos, ad perniones
ad digitorum pterygia, ad paronychias, a
contuſos & ſubcruentos ungues, ad ſcabro
& leproſos ungues, ad plantarum rimas, d
crurum & reliquarum partium varicibus
de brachiorum & crurum dracunculis. *Ser-
mone tertio* tractatur de emplaſtris atqu
ceratis variarum compoſitionum tam alie-
narum, *Galeni, Oribaſii, Hori Mendeſii*, quam
propriarum, de tumoribus induratis, de
tendinum ac ligamentorum induratorum
curatione, de ſtrumis, de bronchocele, de
ſteatomatibus, nec non pultacei ac melle
humoris tumoribus, de ganglio & vaſorum
dilatatione. *Sermone quarto* agitur de foe-
tus extractione & exſectione, de ſecundi-
narum extractione, de mammarum abſceſ-
ſibus, fiſtulis & nomis, de exedentibus mam-
marum

arum ulceribus earumque cancris atque
hirurgia, de curatione cancri poſt ampu-
tionem & inuſtionem, de tumorum can-
eratorum non exulceratorum & ulcerato-
um curatione, de prolapſu uteri ejusque
nflammatione, de abſceſſus oris chirurgia,
e uteri exulceratione ejuſdemque cancro,
e hernia aquoſa & inguinali mulierum, de
ernia varicoſa, de nymphae ſectione, de
ondylomatibus, rimis & fiſſuris uteri, de
abris uteri puſtulis, de alarum pudendi
uliebris abſceſſu, de myrrhatione ad ca-
averis conſervationem &c. Ex quibus
mnibus patet, *Aetium*, tam quae ad *partem
hirurgiae medico-pharmaceuticam*, quam et-
am *operatoriam* pertinent, non neglexiſſe.

§. 98. Seculum ſextum illuſtravit *Ale-
ander*, Trallianus à patria dictus. Natus
ſt in *Tralle*, urbe Graeciae, & floruit ſub
Arcadio & *Honorio*, Imperatoribus Roma-
is; Qui ut in arte ſua tum addiſcenda
um facienda clarior fieret atque excellen-
ior, non ſolummodo univerſam Graeciam
erum etiam Italiam, Galliam atque Hiſpa-
iam peregrinando peragravit, & partim
um viris doctis converſando, partim uſu
& experientia ad eum ſcientiae gradum e-
ectus eſt, ut, cum ad ſcribendum tandem
nimum adpuliſſet, duodecim commenta-
ios de arte medica concinnaverit. Acer-
rimus

rimus fuit *Galeni* inſectator & quaſi aemulus. Libros ejus, quos de arte medica ſcripſit, quosque jam pridem *Petrus Caſtellanus* ex Regia Gallorum Bibliotheca & quidem Graecos in lucem protraxerat, poſtmodum *Johannes Guintherius, Andernacus*, in latinum ſermonem convertit ac priſtino ſuo nitori reſtituit. Fuit ſine dubio *Oribaſio* & *Aetio* poſterior, utpote quorum aliquoties in ſcriptis ſuis mentionem facit.

§. 99. Caeterum, quae chirurgiam in dictis commentariis reſpiciunt, haec ſunt: In *libri primi capite primo* agitur de alopecia ejusque curatione, in *quarto* de porrigine ejuſque curatione, in *quinto* traduntur medicamenta ad pſydracia & exanthemata, quae in capite gignuntur, in *ſexto* ad vitia capitis ſcabioſa & ſanioſa, in *ſeptimo* ad ulcuſcula capitis denſa, papillis ſimilia, in *octavo* achorum curatio & in *nono* de favo agitur. In *libro ſecundo* occurrit *capite quinto* de inflammatione & exulceratione oculorum, capite *ſeptimo* de carbunculis in oculo excitatis, & capite *octavo* medicamenta traduntur ad rhyadas & aegylopas. In *libri tertii capite ſeptimo* agitur de parotidibus. In *libro quarto*, quod unico tantum capite conſtat, de angina tractatur. In *libri quinti capite tertio* de tuberculo, quod phyma dicitur, in pulmone contracto. *Libro*

ro ſeptimo capite ſecundo de purulentis, & apite *octavo* de inflammatione ventriculi t inteſtinorum. *Libro octavo capite primo* e inflammatione jecoris & capite *nono* de xulceratione inteſtinorum, capite *duode-imo* de inflammatione lienis ejuſdemque cirrho. *Libro* denique *nono capite quinto* gitur de inflammatione renum tam ſimpli-iter quam in pus converſa, & capite *ſepti-no* de calculis in veſica naſcentibus.

§. 100. Memorandus nunc venit *Casſius*, criptor problematum medico-chirurgico-um Graecus, quem *Adrianus Junius*, Hor-anus, interpretatus eſt & ex graeco in la-inum vertit, multisque locis mutilum at-que mendis plurimis miſere deformatum eſtituit. Inter problemata chirurgicam rtem reſpicientia ſequentia deprehendere icuit: Cur ulcera rotunda difficilius cae-eris coaleſcant? Cur ſupremae corporis edes ad nomas, i. e. depaſcentia ulcera, int opportunae, ſimiliter & concavae? Cur ulceribus ſanari, ut inflammationibus liſcuti minuique incipientibus pruritus reentur? Cui piſcatores & id genus ho-nines in mari agentes pterygio ſeu ungue oculorum infeſtentur? Qua de cauſa in capitis vulneribus, ubi eouſque deſcende-it vulnus, ut cerebrum ambiens membra-na laeſa ſit, partesque ſauciae jam integrae

cogan-

cogantur, atque ad cicatricis inductionem perveniant, tum plerumque convulſio ſuboriri ſoleat, ex qua mortem illi incurrunt? &c.

§. 101. *Sextus*, Philoſophus Graecus, reliquit librum de medicina ex animalibus, quem *Gabriel Humelbergius*, medicus Ravenspurgenſis latine interpretatus eſt, in quo, quae chirurgiam reſpiciunt, ſequentia reperiuntur, nempe medicamenta ad dentes firmandos, ad ſanandas impetigines, ad lentigines de facie tollendas, ad perniones & pedes laeſos à calceamentis, ad alopecias, ad parotidas, ad caliginem oculorum, ad omnia vitia, quae in faucibus enaſcuntur, ad lentigines in facie, ad veretri exulcerationem, ad maculas de facie tollendas, ad fiſſuras labiorum, ad ignem ſacrum, ad furfures & ſcabiem in capite, ad ungues leproſos, ad carbunculos, ad inteſtina inciſa, ad livores & ſugillationes, ad ſcabiem, ad aures purulentas, ad glaucomata, ad callos & verrucas tollendas, ad tineam infantum, ad rhagades ani, ad vulnera canceroſa, ad pterygia in digitis, ad ficum in ano & rhagades, ad fracturam, ad tumores gingivarum, ad plagas de facie tollendas, ad oculorum albuginem & aures purulentas, ad callum in veretro, ad extrahendum ſpinas faucibus infixas, ad verrucas, ad elephantiaſes,

s, ad faucium mala, ad incipientem ſuffu-
nem & leucomata, ad furunculos, ad lin-
ae & labiorum vulnera &c. Optandum
tem foret, cuncta haec ſpecifica ex ani-
alium partibus deſumpta morbis, quibus
ſtinantur, curandis ſufficere: Vereor
tem, ne pleraque illorum artificem de-
tuant ejusque expectationem fruſtren-
r.

§. 102. *Actuarii* Medicum ſeu libros VI.
e methodo medendi latine interpretatus
t *Cornelius Henricus Matthiſius*, Brugenſis.
uae chirurgiam concernunt, in *libro ſe-
ndo method. med.* haec occurrunt, nempe
pite quinto de adfectionum cutis capitis
gnitione, capite *ſexto* de aurium adfecti-
us, capite *ſeptimo* de oculorum vitiis, ca-
ite *octavo* de narium adfectibus, capite
no de vitiis faciei, *decimo* de dignotione
dfectuum os infeſtantium, *undecimo* de re-
quis externis corporis adfectibus, *duodeci-
o* de tumoribus p. n. & ulceribus. *Libro III.*
gitur de venaeſectione, arteriotomia, de
irudinum & ſcarificationis uſu, de cucur-
itulis, de balneorum uſu. *Libro VI.* prae-
er alia etiam de ulceribus toti corpori
ommunibus, de emplaſtris, malagmatis &
nimentis, de peſſis, unguentis & oleis
ompoſitis tractatur.

§. 103. Recentioribus Graecis etiam ad-
nume-

numerandus eſt *Nicolaus Myrepſus*, Alexandrinus, qui opus concinnavit de medicamentorum compoſitione, in ſectiones quadraginta octo digeſtum, quod *Leonardus Fuchſius*, medicus ſcholaeque Tubingenſis P. P. è graeco in latinum ſermonem vertit, & luculentiſſimis adnotationibus illuſtravit, MSTum certe, quod unicum tantum in univerſa Germania reperire licuit. Occurrunt autem non pauca dicto in opere, quae chirurgicam artem reſpiciunt, uti eſt *Sectio III.* de unctionibus ad varios morbos, de glandibus & hirudinibus, de emplaſtris, de iis, quae calvariae inſperguntur, de cataplaſmatis, de ceratis, de malagmatis & unguentis, de abſterſoriis & nomas ſanantibus, de ſinapiſmis, de pediculos abigentib9, lentigines, phlegmonas, puſtulas & vocem laeſam ſanantibus medicamentis, de fiſſuras labrorum & ſtrumas ſanantibus medicamentis, de iis, quae ſcabiem ſanant & pſilothris &c. Quia vero rhapſodice & incondite ex regno vegetabili multa compilata ſunt, nec pauca ſuperſtitionem anilem mirifice ſapiunt, etiamſi nonnulla etiam, quae gravi ſupercilio non aeque contemnenda occurrant: Hinc in hodierna pharmaciae luce non aeque multum inde promittere nobis poſſumus. Interim, nec noſtri homines hodie ab hoc vitio immunes

plane

ane ſunt, ſed multa etiam medicamenta
perſtitioſa precularum acceſſione conta-
inare ſolent, quae per ſe parum aut nihil
lent.

§. 104. Ex barbaris autem vocabulis, qui-
us paſſim in ſua compoſitorum deſcri-
tione utitur, concludi poteſt, ipſum ea
mpeſtate vixiſſe, qua non ſolum ſumma
arbaries, verum etiam denſiſſimae ſuper-
itionum nebulae totum veluti orbem oc-
upaverant. *Meſue* interim & *Actuario* ju-
ior eſt citra dubium, quia illos in ſuis ſcri-
tis ſubinde citat.

§. 105. Tantis itaque tamque vaſtis te-
ebris univerſum literatum orbem occu-
antibus, duo integra ſecula, *ſeptimum* nem-
e & *octavum* elapſa ſunt, quibus, uti ge-
eratim omnes bonae literae; ita inprimis
tiam medicina & chirurgia turpiter ne-
lectae jacuerunt, donec tandem ſeculo
no inter *Arabes* & *Sarracenos*, qui jam ve-
ſtiſſimis temporibus ſtudii medico-chirur-
ici exculti laude celebres fuerunt, denuo
floreſcere cœperint, inter quos etiam per
tegros quadringentos annos medici ſtu-
i cultura conſtanter permanſit, quo qui-
em tempore varii praeclari medici, inter
uos *Johannem Meſuem*, *Rhaſen*, *Johannem*,
rapionis filium, *Haly*, *filium Rodoham* Ae-
yptium, *Haly Abbatem*, *Avicennam*, *Aven-*

zoarem aliosque referimus, qui tamen o-mnes, indole à ſuis anteceſſoribus prorſu aliena, non tam chirurgiam, quam potiu medicinam internam excoluere, ac proin de hoc intuitu ad hanc noſtram hiſtorian non pertinent. De nonnullis vero illo-rum, quibus chirurgiam obiter attinger placuit, jam ſuperius, licet loco ac tempo-re nondum congruo, dictum eſt.

§. 106. Ex *ſeculi duodecimi* ſcriptoribu famam inprimis conſequuti ſunt *Guilielmu de Saliceto*, *Brunus*, qui ſecundum eminen-tiam *Chirurgus* dicitur, & *Lanfrancus*, Me-diolanenſis. *Guilielmus de Saliceto*, Placen-tinus Italus, floruit circa annum 1270. & praeter alia opuſcula medica ſcripſit etiam chirurgiam, ex cujus praefatione liquido adparet, ſe propriis manibus laboraſſe in-que chirurgia ſemper proceſſiſſe ſecundum ea, quae ipſi per viſum & operationes lon-go tempore manifeſta reddita fuerunt; Proindeque Chirurgus fuit, non ſecundum nudam ac ſolam *theoriam*, ſed ipſa etiam *praxi*.

§. 107. *Brunus*, Longoburgenſis, *Dini de Florentia* Pater, medicus pariter atque chi-rurgus celebris, edidit chirurgiam magnam & parvam, quae utraque cum *Guidonis*, *Theodorici* aliorumque ſcriptis chirurgicis proſtat: Eſtque hoc opus, quod ipſemet

auctor

uctor non diffitetur, maximam partem èx liis conſarcinatum: Diſerte enim in praeatione ſcribit, ſeſe hoc ſuum opus ex libris eterum, *Galeni*, *Avicennae*, *Almanſoris*, *Alucaſis* & *Haly Abbatis* aliorumque in arte eritorum veterum conſarcinaſſe. Vixit x floruit ſub *Friderico*, Romanorum Impeatore A. C. 1230.

§. 108. *Lanfrancus*, Mediolanenſis, clauit ſub *Philippo*, Galliarum *R*ege & Pariſiis hirurgiam cum adplauſu exercuit. *Exeruit*, inquam; Provocat enim ad praxin, x in praefatione ad chirurgiam magnam ectori inſinuat, ſe chirurgiam certis ſuis & ationalibus experimentis ex longo tempoe roboraſſe. Similiterque Praefatione ad hirurgiam parvam repetit: Se probatas onere medicinas, modumque curationis revem tradere vulnerum, apoſtematum, lcerum, cancrorum & fiſtularum, quae onnia experimentis longo tempore roboata eſſent. Proteſtatur tamen, ne ſcripta ua aliquibus idiotis tradantur, ne per illoum ignorantiam opus ſuum alicui noceret, uo ipſo ſimul inſinuavit, chirurgiam eoem modo, uti medicinam ipſam, conſiſtee in *prudentia adplicandi*. Edidit Chirurgiam magnam & parvam, quae utraque um *Guidonis de Cauliaco*, *Rolandi*, *Rogerii*, *Bertapaliae* aliorumque ſcriptis Chirurgici rgumenti prodiit.

§. 109. Pertinet etiam ad hanc aetaten *Conſtantinus Africanus*, Monaſterii Caſſi nenſis manachus, qui *Scholae Salernitana* prima poſuit fundamenta. Quae de chi rurgia ſcripſit, partim reliquis ejus operi bus adjuncta reperiuntur, partim vero li brum ſpecialem de chirurgia condidit, ii quo primum de phlebotomia, arteriarun inciſione, ſcarificatione, cucurbitulis, oſſi um reſtitutione & fractorum conſolidatio ne, deinde vero etiam de variis aliis chi rurgiae operibus egit. Reliquit etiam li brum de elephantia.

§. 110. Seculo *decimo tertio* chirurgiae lau de inclaruerunt & illuſtres fuerunt *Dinu de Garbo*, *Guilielmus Varignana* & *Guido d Cauliaco* ſeu *Cauliacenſis*. *Dinus de Garbo* na tione Florentinus fuit, patremque habui chirurgum, *Brunonem de Garbo*, ſub cujus ut & *Thaddaei*, quo pariter Praeceptore uſu eſt, manuductione tantum profecit, ut tan dem publicam medicinae profeſſionem ii Academia Bononienſi obtinuerit. Praeter alia ſcripta edidit etiam chirurgiam, cui ad diti ſunt *Gentilis de Florentia* commentarii ſuper tractatibus de dislocatione & fractu ris.

§. 111. *Guilielmus Varignana*, ſublimis & excellens medicus natione Judaeus fuiſſe videtur, ſicuti *Conringius* & alii ſuſpican tur.

ır. Edidit opera medica de curandis mor-
is tam univerſalibus quam particularibus,
e faciei & totius corporis mundificatio-
ibus. Ut vero diſtinctius de univerſo o-
ere judicari queat, notandum eſt, illud
uinque ſermonibus conſtare, in quorum
rimo occurrunt tractatus ad chirurgiam
pectantes, de alopecia, ubi etiam de ulce-
ibus cutis agitur, de aſperitatibus palpe-
rarum, ſcabie & hordeolo, de livoribus cir-
a oculos factis, propter percuſſionem vel
iam cauſam, de ulceribus oculorum, de
poſtemate & ulceribus matricis, de apo-
ematibus virgae ejusque ulceribus, de ra-
ice & ruptura, quae fit in inguine, quan-
o inteſtina deſcendunt, de apoſtematibus
ni, ſciſſuris ejusdem & fiſtula, de excoria-
onibus & ſciſſuris, quae fiunt in pedibus,
ruribus manibusque, à quacunque demum
auſa inducantur. Sermone tertio agitur
e continuitate ſoluta, ſpeciatim de vulne-
ibus capitis, de attritione lacertorum &
ervorum, de reſtrictione fluxus ſanguinis
x vulnere fluentis, de eliquanda carne in
ulneribus, de excoriatione oſſis & extra-
tione fruſtulorum oſſis aliorumque infixo-
um & reſtauratione oſſis deperditi, de
arbunculis & anthracibus, de panaritiis, de
naturatione apoſtematis ejusdemque aper-
ione, de apoſtematibus duris in generali

 &

& de nodis, de ſcrophulis, cancro & cancrena, de fiſtulis & duritiebus earum, de ulceribus &c.

§. 112. Eodem tempore Galliam illuſtravit *Guido de Cauliaco*, M. D. artisque chirurgicae in Academia Montispeſſulana P. P. *Nicolai Bertrucii*, Medici Bononienſis diſcipulus, qui chirurgiae fama A. C. 1353. in Galliis admodum inclareſcere cœpit, *Carolo IV.* ad imperii clavum ſedente. Edidit non ſolum chirurgiam parvam, ſed etiam tractatus chirurgiae ſeptem, qui cum *Bruni, Theodorici, Rolandi, Rogerii, Lanfranci, Bertapaliae*, aliorumque ſcriptis chirurgicis prodiere, & priſtinae ſuae integritati reſtituti ſunt à *Laurentio Juberto*, medico Regio inque eadem Academia Montispeſſulana Profeſſore primario. Poſteaquam vero *Guido* noſter multos annos artem ſuam publice docuerat, à *Clemente VII.* hominis iſtius fama vehementer permoto, Avenionem eſt accerſitus, ut medici munere defungeretur, in quo etiam fideliter ſapienterque ſeſe geſſit. Mortuo Pontifice, ab *Innocentio VI.* ejus ſucceſſore eodem, imo longe adhuc digniore atque honeſtiore loco habitus eſt; Imo & *Urbanus V.* tanti noſtrum fecit, ut non medicum tantum, ſed & commenſalem eundem adſciverit.

§. 113.

§. 113. Ut autem univerſum opus ſpecia-
us examinemus, tenendum eſt, ſingulare
ipitulum eidem præmitti, in quo declaran-
ır neceſſaria quaedam dogmata, quae cui-
ue in arte chirurgica proficere volenti val-
e neceſſaria ſunt. Ipſum vero opus *duo-
us* conſtat *tractatibus*, quorum *prior* Ana-
omica, *poſterior* vero chirurgica continet.
ractatus Anatomicus *duas* comprehendit
octrinas, quarum *prima* agit de anatomia
iembrorum communium, univerſalium &
mplicium, *altera* vero de anatomia mem-
rorum propriorum, particularium & com-
oſitorum. Tractatus vero chirurgicus
ptem doctrinis continetur, ubi in *prima* de
poſtematibus, puſtulis & exituris agitur,
n *ſecunda* de vulneribus, in *tertia* de ulce-
ibus, in *quarta* de algebra, extenſione & re-
tauratione oſſium fractorum & dislocato-
um, cujus proinde duae rurſus doctrinae
unt, una nempe de reſtauratione fractura-
um, altera vero de reſtauratione disloca-
ionum. In *quinta* de omnibus aegritudi-
ibus, quae nec proprie apoſtemata, nec
vulnera, nec ulcera, nec oſſium paſſiones
ſunt, pro quibus ad chirurgum recurritur.
His omnibus tandem ſubjungitur Antido-
tarium ſeu doctrina de auxiliis tam univer-
ſalibus quam particularibus. Dictiones ob-
ſcuriores & ſcrabroſiores circa anatomiam,

 patho-

pathologiam imo ipſa quoque chirurgica instrumenta occurrentes, quibus in opere ſuo *Guido de Cauliaco* hinc inde uſus eſt, clara interpretatione donavit *Iſaacus Joubertus*, primogenitus *Laurentii Jouberti*, medici Regii, qui ipſum *Guidonis* opus commentariis illuſtravit, ut paulo ante indicavimus.

§. 114. Non eſt vero, quod ex hoc ſcriptore multa praeclara nobis promittamus, quod tamen injuriis temporum, in quibus vivebat, imputandum eſt. *Johannes Tagaultius* teſtatur, quod per integrum ſeptennium Chirurgicen *Guidonis* ſuis candidatis prælegerit ac proinde eandem deprehenderit tot errorum portentis ubique ſcatentem, tamque inculta, ſqualente atque impura barbarie undique conſperſam, ut ab eo tempore decreverit, animoque ſuo propoſuerit, ab iſta ſorditie opus iſtud vindicandi, unde ſuum tandem opus enatum eſſe non diffitetur. Simul tamen negare non poteſt, commentarios iſtos Chirurgicos quam plurima remedia ad eos adfectus, qui manus operam deſiderant, optima & efficacisſima continere, nec ipſam quoque methodum eſſe adſpernendam, quamvis in multarum particularium operationum adminiſtratione nemini auctor aut ſuaſor exiſterem, ut illum imitaretur, v. g. in chirurgia herniarum

rum per uſtionem expedienda ; nempe, quam *Arabes* igne actuali ſuſcipiebant inuſtionem, *Guido* noſter potentiali tantum tentabat, hunc ſcilicet in modum, ut cauterio potentiali inguini adplicito cutem aduereret, & hoc demum medio eſcharam tandemque cicatricem induceret proceſſui peritonei, majorem dilatationem paſſo. Quis autem fide juſſorem ſeſe nobis offeret, ut vaſa ſpermatica relinquantur intacta, uſtione nempe profundius deſcendente; ſuperficialis enim ſi tantum extiterit, nihil praeſtabit; ſi vero proceſſus peritonei plane ruptus fuerit, multo adhuc minus à cauterii potentialis adplicatione aliquid ſubſidii expectare licebit.

§. 115. Seculo *decimo quarto* peritiam ſuam in chirurgicis publico adprobarunt *Johannes de Gateſden*, *Valeſcus de Taranta*, *Petrus de Argillata*, *Antonius Benivenius*, *Rolandus Capellutus*, *Johannes de Ketam*, *Theodoricus* & *Jacobus de Dondis*.

§. 116. *Johannes de Gateſden*, alias Johannes *Anglicus* dictus, medicus fuit empiricus, qui auctor *Roſae Anglicae* habetur, quam emendatiorem & cum adnotatiunculis locupletiorem edidit *Philippus Schophius*. Continentur vero etiam in dicta illa *Roſa Anglica* quaedam chirurgica.

§. 117. *Valeſcus de Taranta*, Monſpelien-

 ſis,

ſis, integros triginta ſex annos magna cum felicitate praxin medicam atque chirurgicam exercuit, indeque in utraque tantum experimentorum numerum fecit, ut philonium ſuum tam pharmaceuticum quam chirurgicum confecerit, in quo de medendis omnibus tam internis quam externis H. C. adfectibus tractavit.

§. 118. *Petrus de Argillata*, quem alii *de Largelata vel de la Cerlatu* ſcribere malunt, Medicus atque chirurgus *Bononienſis*, vixit, ſi *Juſtum* in Chronologia Medica ſequamur, A. C. 1490. Scripſit chirurgiae Libros VI, in quibus egit 1) de omnibus apoſtematibus à capite uſque ad pedes 2) de vulneribus à capite uſque ad pedes 3) de omnibus ulceribus particularibus à capite ad pedes 4) de decoratione à capite uſque ad pedes 5) de dislocatione & fracturis oſſium breviſſime, cum Anatomica quadam explicatione.

§. 119. *Antonius Benivenius*, medicus eximius floruit A. C. 1495. & obiit anno 1525. Integram quidem chirurgiam non reliquit, attamen librum de abditis nonnullis ac mirandis morborum ac ſanationum cauſis per CXI. capita condidit, quibus multa chirurgica permixta ſunt, quae ordine recenſentur ab *Andrea Geſnero* in alphabetica enumeratione Virorum illuſtrium, qui rem chirurgicam vel ſcriptis vel artis uſu excoluerunt,

a. 1391. König. Biblioth. n. 56.

unt, ac proinde prolixitatis vitandae gratia nobis omittuntur.

§. 120. *Rolandus Capellutus*, Chryſopolianus, medicus atque Chirurgus Parmenſis, ſub *Friderico III.* Romanorum Imperatore floruit A. C. 1468. Edidit non ſolummodo chirurgiam, quae cum *Guidonis, Bruni, Lanfranci* aliorumque chirurgia proſtat; verum etiam tractatum in lucem publicam emiſit de curatione apoſtematum peſtiferorum, utiliſſimis obſervationibus illuſtratum.

§. 121. *Johannes de Ketam*, Germanus, empirici quidem nomen ſolummodo promeruit, nihilominus edidit faſciculum medicinae, in quo praeter alias materias agit etiam de Chirurgia. Floruit autem A. C. 1490.

§. 122. *Theodoricus* fuit epiſcopus Cervienſis Ordinis Praedicatorum, &, licet hoc à profeſſione ipſius paulo alienius videri poſſet, chirurgus admodum praeſtans. Scripſit Chirurgiam ſecundum medicationem *Hugonis de Luca, & cum Guidonis Cauliaci, Rolandi, Bruni* aliorumque in arte chirurgica celebrium virorum chirurgiis prodiit.

§. 123. *Jacobus Dondus*, vel, uti ab aliis ſcribitur, *de Dondis* Patavinus, medicus ſui temporis admodum praeclarus, quem eapropter *Aggregatorem* cognominarunt, ex vetuſtiſſimis & optimis quibuſvis ſcriptoribus

bus enumeravit remedia ſimplicia & compoſita ad adfectus fere omnes, quorum chirurgus curationem ſuſcipere ſolet. Univerſa autem tractatio *quatuor* abſolvitur *partibus*, in quarum *prima* recenſentur remedia ad inflationes, tumores & apoſtemata, aliosque huc pertinentes adfectus, ad eryſipelata, formicam, ignem ſacrum, veſicas & epinyctides, ad carbunculos, anthracem, ad herpetem eſthiomenum, exituras duras ac putridas, ad apoſtemata ex percuſſione, ad furunculos vel papulas, ad apoſtemata maligna, pernicioſa, peſtilentia, fraudulenta, ambulantia, & cancroſa, ad nodos, ſcrophulas & ſtrumas, ad apoſtemata dura, vetera, melancholica & inflationes, ad cancrum & gangraenas. In *ſecunda* parte ſiſtuntur morbi ſolutionum continui, praeprimis in oſſibus & remedia illis opponenda, nempe ſpeciatim ad verberatos & flagellatos, ad contuſionem, percuſſionem, fracturas & enervatos, ad oſſium contuſiones, luxationesque, item ad rupta & convulſa, quaeque oſſium fracturam reſtaurent, vel nova carne cooperiant, quaeque fragmenta oſſium educendi potentia polleant, vel plane ſagittas aliaque corpori infixa. In *tertia* vero parte ſpecialius agitur de ſolutione continui in partibus mollioribus ſolideſcentibus membranoſo-carnoſis & medica-

licamentis huc facientibus, nempe ad ul-
era & plagas, ad arterias & venas inciſas,
d haemorrhagiam, dolorem & inflamma-
ionem in vulneribus, ad dolores ex pun-
tura ſpinae, ad aduſtionem ex igne, aqua
ervente ſimilibuſque, ad eſcharam & ulcera
x aduſtionibus &c. In *quarta* & ultima
parte agitur de remediis mundificantibus
& abſtergentibus ulcerum, de medicamen-
is ad duritiem ulcerum, ad maligna, frau-
lulenta, antiqua, corroſiva, cancroſa, ſicca,
corticoſa & verminoſa ulcera, ad fiſtulas,
avos &c. Quibusjunguntur auferentia car-
nem ſuperfluam, incarnantia, glutinantia
& conſolidantia, cicatrizantia, extenuantia
& cicatrices ulcerum planantia.

§. 124. Denique ad idem hocce ſeculum
referendus adhuc videtur *Nicolaus Nicolus*,
Florentinus, Avicennae commentator, qui
regnantibus Wenceslao & Ruperto, Ro-
manis imperatoribus claruit. In ſermoni-
bus ſuis Medicinalibus habuit etiam ſermo-
nem ſeptimum de Chirurgia.

§. 125. Adpropinquante autem ſeculo
decimo ~~*quinto*~~ multi egregii ſurrexerunt viri, XVI.
qui cultiores Europae regiones, Hiſpaniam
cum vicina Portugallia, Italiam, Galliam
atque Germaniam ſcriptis ſuis exornarunt.
Et ut ab *Hiſpanis* conterminiſque *Luſitanis*
dicendi initium faciamus, commemorari
hic

hic inprimis merentur *Johannes Brabus Chamicus*, *Alphonſus Gomezius*, *Andreas à Lacuna*, *Rodericus de Molina*, *Alvarus Nonnius*, *Franciſcus Arcaeus*, *Andreas Alcazar*, *Matthias Narvatius*, *Johannes Fragoſus*, *Ludovicus Mercatus*, *Auguſtinus Vaſques*, *Dionyſius Daza Chacon*, *Johannes Andreas à Cruce*, *Alphonſus Lopez*, *Harcerus* &c.

§. 125. Quod *Johannem Brabum Chamicum* attinet, in Academia Conimbricenſi artem Anatomicam publice docuit: In Chirurgicis vero, praeter librum de vulneribus capitis, nihil ſcripſit.

§. 126. *Alphonſus Gomezius* argumentum chirurgicum quodammodo tantum attigit, & de praeparatione tumorum librum edidit.

§. 127. Similiter *Andreas à Lacuna*, cujus vitam & conatus in Anatomicis jam nuper in *hiſtoria Anatomiae* deſcripſimus, in chirurgicis nihil edidit, praeter tractatum non admodum prolixum de methodo cognoſcendi extirpandique carunculas in collo veſicae urinariae quandoque excreſcentes.

§. 128. *Rodericus de Molina* ſcripſit inſtitutionem chirurgicam, quae Granadae 1557. lucem adſpexit publicam.

§. 129. *Alvarus Nonnius* adnotationes edidit ad *Franciſci Arcaei* Libros duos de recta curandorum vulnerum ratione. Atque

ue hic eſt ipſe ille *Arcaeus*, cujus balſa-
num vulnerarium in contuſionibus & vul-
eribus recentibus non eſt ignotum chi-
urgis, ſicuti ejuſdem deſcriptionem com-
nunicavit *Muys* in praxi Chirurgica. Fuit
atione Hiſpanus, nempe Fraxinalenſis, &
oruit circa annum 1574.

§. 130. *Andreas Alcaſar* vel *Alcazar*, Gua-
alaxarenſis, non ſolum ſeorſim de vulne-
ibus capitis ſcripſit, ſed etiam chirurgiae
Libros VI. edidit, in quibus multa antiquo-
um aeque ac recentiorum ſubobſcura loca
larius interpretatus eſt.

§. 131. *Matthias Narvatius*, Curvaequer-
u-Arragonenſis, edidit ſylvam ſententia-
um ad chirurgiam pertinentium, ex libris
Hippocraticis deſumptam, cum novis qui-
uſdam inſtrumentorum generibus, quo-
um uſus in curandis capitis vulneribus ne-
eſſarius eſt.

§. 132. *Johannes Fragoſus*, Toletanus, li-
rum de chirurgia ſcripſit, una cum aliis o-
uſculis, rem medicam ſpectantibus, de
uibus ſuo loco ac tempore dicetur.

§. 133. *Ludovicus Mercatus* duorum Hi-
paniae Regum *Philippi II. & III.* medicus
ubicularius & in Academia Valledoletana
Profeſſor primarius fuit. Lucem hanc pu-
licam adſpexit Pintiae in Hiſpania, & an-
io octogeſimo octavo aetatis ſuae gravis-
ſima

ſima iſchuria & totali urinae ſuppreſſione ad integros 18. dies durante & diriſſimis cruciatibus adfligente diem ſupremum obiit, poſtquam Archiatri munere per integros viginti annos in Aula Philippi II. fideliter defunctus fuerat. Reliquit nobis inſtitutiones chirurgicas, in duos libros diſtinctas, juſſuque Regio pro chirurgis in praxi examinandis factas & à reliquis Proto-medicis adprobatas, item inſtitutiones ſeorſim, ad uſum & examen illorum, qui luxatoriam artem exercent, quas *Carolus Piſo* ex hiſpanico in latinum ſermonem convertit: Quorſum etiam ſpectat tractatio de morbo gallico ejusdemque curatione. Sicuti autem dictas inſtitutiones multa egregia continere negari nequit: Ita nimia contra laborare prolixitate, extra dubium itidem conſtitutum eſt. Caeteroquin tanta penes ipſum fuit auctoritas Galeni, ut ipſam etiam veritatem eidem poſtponere non dubitaverit: Unde alicubi in haec verba imprudens erupit: Quam procul dubio ſententiam, niſi Galenus protuliſſet, ego exiſtimarem omnino falſam.

§. 134. *Auguſtinus Vasques* vel *Vaſquez*, ſcripſit quaeſtiones medico-practicas & chirurgicas.

§. 135. *Dionyſius Daza Chacon*, duobus tomis

nis de chirurgiae theoria aeque ac praxi
iiſpanice atque latine ſcripſit.

§. 136. *Alphonſus Lopez*, ſummam & re-
apitulationem chirurgiae edidit, cui ars
enaeſectionis & chirurgos examinandi
djecta eſt.

§. 137. *Antonius de Cruce*, Olyſſiponenſis
uſitanus, de chirurgia portugallice quae-
am commentatus eſt.

§. 138. Denique *Harceri*, cujus praeno-
ien ignoro, inſignis cujuſdam chirurgi Hi-
pani, hic locorum mentio facienda eſt,
am praecipue ob rationem, quod praeter
ias intentiones, ob quas interdum ad *pa-
centheſin pectoris* accedunt Chirurgi, pthi-
os ſeu ulceris pulmonalis gratia eandem
ommendaverit, imo & cum ſucceſſu ad-
iniſtraverit, morbum alias inſuperabilem
ctraordinario hoc, licet ſimul admodum
merario medio, nempe per decocta ap-
ropriata, perforato pectore, ſyringae ope
jecta, curando & radicitus extirpando:
e qua tamen re ſit fides penes Auctorem.

§. 139. Relictis *Hiſpanis*, tranſitum faci-
us ad *Italos*, qui ab omni tempore adſen-
m & adprobationem virorum doctorum
co invenerunt, quod artem chirurgicam
ae omnibus aliis nationibus, ſolis *Gallis*
ceptis, majore induſtria ac ſtudio exco-
erint, id quod etiam ingens numerus

ſcriptorum, qui hoc potiſſimum ſeculo no
minis ſui celebritatem conſequuti ſunt
haud obſcure probat, inter quos referimu
Alexandrum Benedictum, *Angelum Bologni*
num, *Rogerium* quendam, *Johannem de Vi*
go, *Paulum Juliarium*, *Marianum Sanctum*
Benedictum Textorem, *Leonardum Bertapa*
liam, *Jacobum Berengarium*, *Michaelem An*
gelum Blondum, *Johannem Baverium de Ba*
veriis, *Antonium Fumanellum*, *Bartholomae*
um Maggium, *Philippum Palatium*, *Hierony*
mum Craſſum, *Vidum Vidium*, *Conſtantinum*
Varolium, *Julium Caeſarem Arantium*, *Leon*
hardum Botallum, *Gabrielem Fallopium*, *Johan*
nem Philippum Ingraſſiam, *Horatium Morum*
Johannem Paulum Natum, *Petrum Martyrem*
Tronum, *Johannem Baptiſtam Carcanum Le*
nis, *Johannem Franciſcum Rotam*, *Euſtach*
um Rudium, *Caſparum Tagliacotium*, *Duran*
tem Scachi, *Johannem Petrum Paſſerum*
Nicolaum Nicolum, *Marcum Antonium*
Montagnanam, *Baptiſtam Codronchium*, *Jo*
hannem Colle, *Johannem Andream de Cruc*
aliosque referimus.

§. 140. Primum itaque locum conced
mus merito *Alexandro Benedicto*, Veronen
ſi, viro medendi peritia clariſſimo, quiqu
quod elogium ipſi non injuria tribuit *Co*
ringius, magna valuit experientia. Rectiu
quidem Anatomicis, quam Chirurgis eu
de

dem adnumerandum eſſe cenſemus, quod & nos in *hiſtoria Anatomiae* feciſſe probe recordamur: Quia tamen nihilominus in ſuo volumine de medendis C. H. adfecti-bus à capite ad calcem, meminit etiam morborum, tractationem externam chirurgicam requirentium, & inprimis Libro XXIV. & XXXVII. novum curationis genus ad hernias, quas enterocelen & epiplocelen vocant; deſcribit; Hinc & in numero ſcriptorum chirurgicorum aliquem ipſi locum decernere non dubitavimus: Quo eodem intuitu multos alios ad eandem hanc claſſem referemus, etiamſi chirurgica ex profeſſo non ſemper tractaverint.

§. 141. *Angelus Bologninus*, ſive, ut alii ſcribere malunt, *Bolignius*, Bononienſis, chirurgiae fama admodum clarus, in Academia Bononienſi eandem publice docuit, atque adeo circa annum 1506. ſcriptis ſuis innotuit eruditis. Edidit libros II. de curatione ulcerum exteriorum, in quorum primo praeter generalem curationis ulcerum methodum, inſinuat quoque impedimenta, conſolidationem ulcerum retardantia, nec non ſigna modumque horum impedimentorum: In *altero* vero agit primum de regulis curationis ulcerum generalibus, deinde vero de ulceribus fiſtulari-

bus, de cura ſaniei ſubtilis & groſſae, acutae & corrodentis, de cura ſanguinis peccantis, malae complexionis partis ulceratae, doloris ſuperflui ſanguinis fluxus, de cura apoſtematis, de curatione oſtracatae carnis ſeu durae atque calloſae, vel contra mollis & ſuperfluae, de cura ſerpiginis ſeu pruriginis in circuitu ulceris contingentis, de cura corroſionis, putrefactionis & corruptionis oſſium. Idem etiam conſcripſit *librum de unguentis*, quae communis practicorum uſus in ſolutionum continui medela habet, ſpeciatim vero agitur de unguentis defenſivis, digeſtivis, mundificativis, capitalibus & mercurialibus.

§. 142. Pertinet quoque ad hanc aetatem *Rogerius* quidam, Parmenſis, qui praeter practicam medicinae, quae cum *Lanfranci, Guidonis, Bruni* aliorumque chirurgia exſtat, alium librum edidit, in quo breviter perſtrinxit, quicquid de omnium venarum phlebotomia bonum medicum & chirurgum ſcire oportet.

§. 143. *Johannes de Vigo*, Genuenſis, ſu[o] tempore in magno fuit pretio inter erudi[tos], ut non immerito miretur *Conringiu[s]* quare *Conradus Geſnerus*, qui alias diligen[tiſſimam] tiſſimam adhibuit operam in colligendi[s] optimis ſcriptoribus Chirurgicis, nulla[m] ejus fecerit mentionem. Fuit caeteroqui[n] chiru[rgus]

chirurgus *Julii II*. Pontificis Romanorum Maximi, & floruit anno C. 1517. Habuit diſcipulum celebrem chirurgum & operatorem, *Marianum Sanctum*, Barolitanum, cujus methodum operandi ſingularem in lithotomia mox recenſebimus. Ejus practica in arte chirurgica copioſa continet Libros IX. in quorum *primo* agitur de anatomia chirurgo neceſſaria, *ſecundo* de apoſtematibus in univerſali & particulari, in *tertio* de vulneribus in univerſali & particulari, in *quarto* de ulceribus in univerſali & particulari, in *quinto* de dislocatione juncturarum & in *ſexto* de dislocatione oſſium. Reliquos enim, cum chirurgiam proprie non reſpiciant, ſilentio praetermittimus.

§. 144. *Paulus Juliarius*, Veronenſis, brevem edidit libellum de curatione vulnerum capitis.

§. 145. *Marianus Sanctus*, Barolitanus, *Vigonis* diſcipulus, in chirurgica arte admodum celebrem ſeſe reddidit, inventa ſingulari ratione calculum veſicae cum ſucceſſu ſecandi & extrahendi, edito eum in finem libello plane aureo de lapide veſicae per inciſionem extrahendo. Vocatur alias *Operatoribus* modus ille ſecandi calculum *Marianus*, utpote quem *Marianus Sanctus* ex doctrina Praeceptoris ſui, *Johannis de Romanis*, primus tradidit: Adpellatur alias

ſectio majoris adparatus, quia non ſolum adminiſtratu valde laborioſa eſt, ſed etiam multorum inſtrumentorum adparatu & adplicatione indiget, aliter quidem, atque in *ſectione minoris adparatus* conſpicimus. Adminiſtratur vero *ſectio Mariana* ſecundum ejus deſcriptionem hoc modo: Aeger rite compoſitus collocatur in ſella, capite nempe & dorſo depreſſis & genubus ad pectus retractis, cruribusque divaricatis, ut perinaeum melius promineat. Poſthaec intruditur catheter ſulcatus, ita quidem, ut pars *convexa* pubem, *convava* vero anum reſpiciat, & molliter quidem, blande ac modeſte, quantum fieri poteſt, iſta catheteris immiſſio peragitur, & catheteris ſulcus digitis exploratur: Invento ſulco, digitis unius manus ſcrotum attollitur, ipſaque cutis tenditur, & ſuper ipſum ſulcum per integumenta & veſicam fit inciſio, tres vel quatuor digitos tranſverſos in adultis longa, magnitudini tamen calculi proportionata. Sectione facta, immittitur in aperturam inſtrumentum, quod *conductorem* vocant, & ſulco catheteris immediate adplicatur, quo immiſſo catheter retrahitur, ac poſtea immittitur uncus per ſulcum conductoris, ſicque calculus ad conductorem derivatus, forcipe tandem extrahitur.

§. 146.

§. 146. Reliqua, quae *Marianus* ſcripſit, opu-
ſcula, lectu nec injucunda nec inutilia ſunt,
/. g commentarius in textum *Avicennae* de
apoſtematibus calidis, de contuſione & at-
ritione, de caſu & offenſione, de calvariae
curatione &c. item ejusdem compendium
de chirurgia, uti & libellus de modo exami-
nandi medicos chirurgos, ac denique, quod
ſingulari curioſitate ſeſe commendat, opu-
ſculum de lapide renum, qui tamen
chirurgiam non admittit. Compendium
chirurgiae, quod edidit, legi poteſt in *Con-
radi Geſneri* opere chirurgico, cujus inferi-
us mentionem faciemus. Dividitur autem
n tres tractatus, quorum *primus* agit de a-
poſtematibus, *ſecundus* de vulneribus, ac
tertius de ulceribus. Scorſim quoque pro-
diit ejusdem liber de laeſionibus capitis
chirurgo curandis, item libellus de lapide
renum & veſicae, praeter illum, quem ſeor-
ſim de lapide veſicae ſcripſit, cujus paulo
ante mentio facta eſt. His omnibus ſin-
gularis ſubjungitur libellus, quem *Quiddi-
tativum* vocat, incongruo quidem & bar-
baro titulo, utiliſſimum tamen argumentum
pertractante, nempe de modo examinandi
medicos chirurgos, perſonis interloquen-
tibus exiſtentibus *Jacobo, Andrea* & *Maria-
no.* Reliquit denique orationem de laudi-
bus medicinae, item exhortationem ad Ma-

 gnificos

gnificos ſtudiorum reformatores pro re literaria reformanda, quae tamen ad ſcopum noſtrum non pertinent.

§. 147. *Benedictus Textor*, Seguſianus, librum ſcripſit de cancro ejusdemque natura & curatione.

§ 148. *Leonardus Bertapalia*, nonnullis *Praedapalia* dictus, Paduanus, *Montagnanae* coaevus fuit. Ejusdem chirurgia cum *Guidonis Cauliaci*, *Rolandi*, *Rogerii* aliorumque chirurgicis ſcriptis proſtat. Floruit circa annum 1520.

§. 149. *Jacobus Berengarius*, Carpenſis, quem ideo *Jacobum Carpum* communiter vocant, tractatum chirurgicum vere aureum ſcripſit de Cranii fractura, quem emendatiorem in Batavis excudi & prodire fecit *Hermannus Conringius*. Habetur primus inventor *ſalivationis*: *Fallopius* enim in tractatu de *morbo gallico* refert de *Jacobo Carpenſi*, quod ex ſola *curatione morbi gallici per ſalivationem* lucratus fuerit plusquam 50000. ducatorum aureorum, & multos quidem interfecerit, majorem tamen partem ſanaverit: Unde aeſtimari facile poteſt, quantopere in Italia graſſetur beſtialis illa lues!

§. 150. *Michael Angelus Blondus*, Italus, de partibus ictu ſectis citiſſime ſanandis ſingularem ſcripſit tractatum, eumque *Antonio Puccio*, Cardinali Reverendiſſimo & meden-

medentium Collegii R. Protectori digniſſimo dedicavit. Conſtat autem paucis tantum plagulis, & praemiſſa praeſtantiſſimorum medicorum hiſtoria brevi & doctrina, agitur de vulneris definitione ac diverſitate, de prognoſticis ſectarum partium, deque univerſali curandi ratione tam ſecundum methodum antiquam, quam breviori. Subjunguntur tandem claſſes nonnullorum medicamentorum, & agitur ſpeciatim de ſarcoticis ſeu carnem generantibus, de glutinantibus, de ſigillantibus, de medicamentorum diſcrimine, de cauſis ſanitatem retardantibus, nervorumque ſectione. Praeterea vero edidit alium adhuc tractatum de origine morbi gallici, deque ligni Indici ancipiti proprietate adverſus plurimorum opinionem.

§. 151. *Johannes Baverius de Baveriis*, Imolenſis, in Gymnaſio Bononienſi Profeſſor fuit, & *librum conſiliorum* edidit, quibus multa intermixta ſunt, quae argumentum chirurgicum reſpiciunt.

§. 152. *Antonius Fumanellus*, Veronenſis, medicus per univerſam Italiam famigeratiſſimus circa annum 1529. floruit. In operibus ſuis junctim editis multa hinc inde occurrunt, quae argumentum chirurgicum reſpiciunt, quorſum pertinet libellus de lepra & elephante eorumque curatione, item

de uſtione capitis in oculorum pulmonumque morbis, a defluxu humorum oriundis, nec non de fractura calvariae ejusque curatione, de vulnere pectoris & pulmonum, nec non de phlegmone conſilium chirurgicum & pauca alia.

§. 152. *Bartholomaeus Maggius*, Bononienſis, philoſophus & medicus praeſtantiſſimus, nullique chirurgorum in ſua arte ſecundus, librum edidit de ſclopetorum & bombardarum vulnerum curatione, qui cum *Geſneri* ſcriptoribus chirurgicis proſtat. Diſputatur autem dicto tractatu prolixe, an hujusmodi vulnera cauterio vel veneno infecta ſint, ſimulque rationes ulcerum curativae cum medicamentis idoneis ex *Hippocratis*, *Galeni* aliorumque Graecorum ſententia copioſe deſcribuntur. Speciatim referuntur curationes vulnerum a ſclopetis inductorum, inde pergit agere de vulnere partium carnoſarum, cum globuli vel alterius rei heterogeneae p. n. retentione, de membri ſphaceloſi & corrupti exciſione, de eryſipelate, de vulnere depaſcente & ſerpente, quod νομὴν Graeci vocant, de ulcere ſordido, oedemate, de hyperſarcoſi & callo tollendo, de duritiei in juncturis remanentis curatione poſt vulneris vel ulceris conſolidationem, de variis modis removendi granula pulveris ſclopetarii, deque

oſſe

ſſe detecto ac corrupto ; Quibus omni-
ous ſubjuncta eſt medicamentorum, de qui-
ous in opere ipſo actum eſt , deſcriptio &
nodus componendi, uti & figurae inſtru-
nentorum , quibus in ejusmodi caſibus
ıtuntur artifices, hamulorum nempe di-
erſae ſpecies, cannula cum terebello, in-
trumentum ad evellendum globulos, for-
eps dentata & concava , roſtrum corvi-
um, variaque alia inſtrumenta , cauteri-
m cum cannula, ſpatula, forceps anſe-
ina &c.

§. 154. *Philippus Palatius*, Trebias, de
nethodo vulneribus medendi ſcripſit, una
um medicamento, quod aqua ſimplici
z fruſtulis de cannabe vel lino conſtat.

§. 155. *Hieronymus Craſſus*, Utinenſis, Do-
tor chirurgus clariſſimus, tractatus quin-
ue edidit, *unum* de tumoribus p. n. *alte-
um* de ſolutione continui ſeu vulneribus,
ertium de ulceribus, *quartum* de cauteriis
eu ratione cauterizandi, & *quintum* deni-
ue de curatione calvariae.

§. 156. *Vidus Vidius*, ſenior, Florenti-
us, poſtquam Archiatri perhonorifica
unctione in Aula *Franciſci I.* Galliarum Re-
is aliquamdiu defunctus fuerat, Lutetiis
Pariſiorum profeſſionem medicinae ſuſce-
it, tandem vero amplo ſalario in patriam
uam revocatus, in Academia Piſana artem
ſuam

ſuam per integros 20. annos docuit, ibi demque anno 1567. mortuus eſt. Scripſi Libros IV. de chirurgia, qui tomo III. ope rum ſuorum continentur, nec non vari *chirurgica Hippocratis*, ut librum de ulceri bus, de fracturis, de articulis, de officin medici, item *Galeni* librum de faſciis, ut & *Oribaſii* libellum de laqueis & machina mentis, ex *Heracle* & *Heliodoro*, partim e graeco in latinum tranſtulit, partim ver commentariis ſuis illuſtravit.

§. 157. *Conſtantinus Varolius*, Bononien ſis, in aetate nondum valde provecta ſta tim clara ſuae eruditionis ſpecimina in art noſtra dedit, ac proinde abſolutis ſtudii Academicis in ſchola patria chirurgiae pro feſſionem ſuſcepit: Hinc vero a Papa Ro mano, *Gregorio XIII.* ad Archiatri functio nem, ſimulque in Archi-Lycaeo Roman ad profeſſionem Anatomiae publicam evo catus eſt, paulo poſt vero viventium coetu exemtus, poſtquam vitam ſuam vix ad an num trigeſimum ſecundum produxerat Interea ob operationes chirurgicas & prae cipue lithotomiam, tantam ſibi famam com paravit, ut undique ad ipſum confluerent aegrotantes, ejusque operam expeterent qui calculo veſicae laborabant. De pro fectibus ejusdem anatomicis locuti ſumus i *hiſtoria Anatomiae*.

§. 158

§. 158. *Julius Caeſar Arantius*, Bononien-
s, in urbe patria, ubi natus & educatus
uerat, ſummos non ſolum in Medicina ho-
ores impetravit, verum etiam ſparta hono-
ifica donatus eſt. Poſtquam autem per in-
egros 32. annos profeſſioni anatomicae at-
uc chirurgicae praefuerat, diem extre-
num ibidem obiit A. C. 1589. Librum *Hip-
ocratis* de vulneribus capitis brevi com-
nentario illuſtravit, quem ex ejusdem prae-
ectionibus collectum, *Claudius Porralius*,
Lugdunenſis, edidit. Reliquit inſuper no-
is librum de tumoribus ſecundum locos
dfectos.

§. 159. *Leonhardus Botallus*, Aſtenſis Pe-
lemontanus, primus eſſe dicitur, qui per-
erſum illum morem venaeſectionem to-
ies tamque frequenter, unico nonnun-
uam die repetendi, in Galliam invexit &
ntroduxit, cui conſvetudini deinde Galli
n hunc usq; diem tam liberaliter indulſere,
t, ſive exquiſita neceſſitas operationem il-
am requirat nec ne, obtorto collo pleros-
que ſuos aegrotantes ad venaeſectionem
on tam invitare quam cogere ſoleant me-
lici: Unde dicterium eſt, quo Gallorum
nedici ab exteris hodieque onerantur,
quod venam ſecare, purgare & clyſterium
lare, ferme univerſam illorum praxin ex-
auriat. Floruit circa annum 1582. & inſi-
gnem

gnem edidit tractatum de vulneribus ſclopetorum curandis, qui cum *Alphonſi Ferrii* & *Franciſci Rotae* libris, idem argumentum tractantibus, editus eſt. Singularem quoque in lucem dedit librum de curatione per miſſionem ſanguinis, de cutis ſcarificandae & hirudinum adfigendarum modo; item commentariolos duos, alterum de medici, alterum de aegroti munere una cum aliis ſcriptis, quae omnia adnotationibus illuſtrata a *Johanne van Horne* anno 1660. edita fuerunt, qui in *microtechne* nonſolum exquiſitam *Botalli* induſtriam laudat, verum etiam inſt umenti cujusdam meminit, quo *Botallus* uti ſolitus fuerit in amputandis membris ſphacelatis: Eſt autem inſtrumenti hujus *Botalliani* fabrica talis: Fiant duae columnae ligneae, ponderoſo cippo infixae, & utrinque per longitudinem interius ſulcatae; In inferna parte cippi infixus ſit firmiter latus culter, acie ſua ſurſum ſpectans, & alterius cultri per ſulcum mobilis aciem ſibi oppoſitam habens: Ubi igitur detruncandum eſt membrum, ſuperior ille culter plumbo oneratus e ſuperiore parte deſcendit, aut malleo gravi adactus carnem ſimul cum oſſe ſecat. Simul vero provocat *Hornius* ad teſtimonium J. *Regii*, qui hunc modum valde expeditum & indolentem eſſe exiſtimavit, adeo ut aegri pu-

tent,

:nt, e lychnio ignis ſcintillam in mem-
rum detrucandum incidiſſe. Ego tan-
ımmodo circa uſum hujus inſtrumenti
racticum moneo, quod, etiamſi dubium
on ſit, quin hoc modo membrum inte-
rum corruptum a reliqua parte ſana ſine
olorum vehementia removeatur, metuen-
um tamen ſit, ne os ſua natura fragile in
ıulta fragmenta facile diſſiliat, ſicque
raviorum ſymptomatum, talem ſectionem
quentium cauſa extitura ſit; Quae tamen
mnia experientiae frequentiori commen-
ında ſunt.

§. 160. *Johannes Colle, Roderici a Fonſeca*,
ofeſſoris in Gymnaſio Patavino glorioſi,
cceſſor glorioſus, lucem publicam adſpe-
t Beluni in Italia A. C. 1558. Poſtquam
rſum, ut vocant, ſtudii medici feliciter
ſolverat, primum ejusdem fructum degu-
avit, dum Patavii dignitates, privilegia
immunitates Doctorales ipſi collatae fue-
ınt, a quo tempore in celeberrima Vene-
rum Republica medicam praxin per inte-
os 12. annos exercuit, & curationum a
peractarum fama longe lateque diſſemi-
ıta, perhonorifico ſtipendio in aulam
anciſci Mariae II. Urbini Ducis evocatus
t, tituloque Protarchiatri & Nobilis a cu-
culo cohoneſtatus; Quam ſplendidam
ovinciam cum per integros 23. annos
cum

cum laude ſuſtinuiſſet, literarum amor captus bonis conditionibus & largis mune ribus donatus in gymnaſium Patavinum ſe ceſſit, ibidemque artem ſuam, quam ſum mo cum adplauſu hucusque exercuerat publice docere aliisque inculcando propa gare coepit, tandem vero dira peſte pe urbem graſſante ſimiliter correptus & ann aetatis ſuae ſeptuageſimo ſecundo erudi torum coetui ereptus eſt. Scripſit eluci darium Anatomicum ſimulque chirurgi cum, ex ſcriptoribus graecis, arabibus at que latinis compoſitum, cui etiam tractatu de vulneribus, ulceribus, tumoribus, fra cturis atque luxationibus inſerti ſunt.

§. 161. *Gabriel Fallopius*, Mutinenſis, chi rurgus & medicus ſua tempeſtate clariſſi mus, Academiam Patavinam condecoravit qui, ſicuti in omnibus reliquis artis ſaluta ris partibus verſatiſſimum ſeſe praeſtitit: It certe in chirurgia etiam hoſpes non fuit Praeter medica enim, quae operibus eju inſerta ſunt, egit etiam de vulneribus ſingu larum partium, de vulneribus capitis, ocu lorum, naſi, colli, vaſorum, thoracis medullae ſpinalis, abdominis, nervorum ſclopetorum &c. ac denique de cauteriis In tomo vero tertio tractavit de tumori bus p. n. de oſſibus luxatis & fractis, & quic quid alias in parte chirurgiae medicamen

ti

ria tractari conſvevit. Caeterum duo li-
ri, alter de ulceribus, alter vero de tumo-
bus p. n. ſeorſim prodierunt, & in libro
uidem de ulceribus poſt auctoris propo-
tum & ordinem in tractando ſervandum
eclaratur definitio ulcerum, eorundem-
ue cauſae atque differentiae, ſigna & fon-
es, quibus tandem medicatio ſubjungitur:
nde digreſſionem facit auctor de excre-
nentis ulcerum, de ulcere compoſito, de
auſarum ulceris ablatione, de carne ſuper-
reſcente, de doloroſo, livido, calloſo, va-
icoſo, verminoſo ulcere, de ulcere cum
ſſe corrupto, de cutis ulceribus & adfe-
tibus ulceroſis, de pruritu, de mentagra,
le pſora & lepra deque ſcabiei curatio-
ie. In libro vero de tumoribus p.n. eun-
lem fere tractandi ordinem ſervat: Expo-
ito nempe Auctoris propoſito, tumoris de-
initio, cauſae atque differentiae propo-
iuntur, deinde fontes ſignorum indican-
ur, deque curatione tumorum in univer-
ſali agitur: Hinc porro inſtituit digreſſio-
nem, partim, quid in ſecando abſceſſu ob-
ſervandum, partim quibus medicamentis
concoctio ſeu potius praeparatio materiae
promovenda: Tandemque ſequitur ſpe-
cialis tractatio de inflammatione, de carbun-
culo, de gangraena, de bubone peſtifero,
de eryſipelate, de œdemate & ſcirrho. Se-

H orſim

orſim etiam prodiit tractatus de bubon
bus peſtilentialibus, nec non de parte m
dicinae, quae chirurgia adpellatur, uti
diſtincta interpretatio in librum *Hippocr*
tis de vulneribus capitis.

§. 162. *Johannes Philippus Ingrasſias*, R
chelburgenſis Siculus, non ſolum artem ſa
lutarem in patria ſua fructuoſe exercui
verum etiam in Gymnaſio Neapolitan
publice docuit. Cum dira quaedam peſti
lentia univerſam Siciliam devaſtaret, po
pularibus ſuis exoptatiſſimum auxilium at
tuliſſe dicitur, ut eam ob cauſam *Hippocra*
tis Siculi nomen ac titulum ſibi promeru
erit. Tandem *Philippi II.* Regis Hiſpania
rum medicus corporis conſtitutus eſt, flo
ruitque circa annum 1570. Scripſit ex pro
feſſo de tumoribus p.n. & generatim omni
um tumorum praeternaturalium ſpecies
nomina, definitiones atque cauſas multa
que alia generalia declaravit, ſcriptoresqu
graecos, arabes atque latinos enucleavit
occaſione ſumpta ab Avicennae verbis *Ter*
tia Fen quarti libri, tractatu primo. Propte
eam vero potiſſimum rationem cenſuras
Doctorum incurrit, nempe, quod equi
dem vir non indoctus fuerit, ſed nimis
quam par erat, in nomenclaturis Arabicis
& Graecis evolvendis & conciliandis ſeſe
detinuerit, imo & lectori in recenſendis

to

tumorum ſpeciebus taedium & confu-
nem pepererit. Multas vero inſuper
cuſſit quaeſtiones chirurgicas in Iatro-
logia, quorſum etiam pertinet dilucida-
quaeſtionis: Utrum in capitis vulneri-
s, phrenitide atque pleuritide exolvens
ncupatum medicamentum an leniens
ntaxat congruens ſit? &c.

§. 163. *Horatius Morus*, edidit tabulas,
iverſam chirurgiam miro ordine com-
ectentes, quas tamen non proprio marte
boravit, ſed ex aliis eruditis medicis
llegit & conſarcinavit.

§. 164. *Johannes Paulus Natus*, Rhodigi-
us Venetus, ſcripſit opuſculum de chi-
rgia, ac praecipue de ſolutione conti-
ui.

§. 165. *Johannes Petrus Paſſerus*, Bergo-
as, de cauſis mortis in vulneribus capitis
ctaque eorundem curatione librum ſcri-
ſit, in quo ad mentem *Hippocratis*, potis-
mum de perforatione & abraſione in lae-
onibus cranii non ſatis adparentibus agi-
ır, quique multas utiles circa hoc nego-
um obſervationes continet.

§. 166. *Johannes Baptiſta Carcanus Leonis*,
Mediolanenſis, tractatum abſolutiſſimum
obis reliquit de vulneribus capitis, tripli-
i ſermone contentum.

§. 167. *Johannes Franciſcus Rota*, philo-

ſophus & medicus Bononienſis clariſſimu
ſcripſit de tormentorum bellicorum vuln
ribus eorundemque curatione, in quo pra
ter eam medicinae partem, quae manu c
rat, totius fere artis encheiridion ad quo
tidianam medendi exercitationem hab
tur; Omnium etiam, qui in illum usqu
diem ea de re ſcripſerunt, vel placita co
riguntur vel rationes penitus evertuntu
Primaria capita in his fere conſiſtun
Praemiſſa vulnerum tormentariorum ve
definitione agitur de eorundem curatio
ne, ſive exiſtant in partibus muſculoſo-ca
noſis ſive in partibus tendinoſo-nervoſi
ſive plane cum oſſis fractura ſint conjun
cta. Diſquiritur inſuper, quomodo glo
buli ſint eximendi, ſi articulo inhaeſerin
quomodo ea, quae extrinſecus vulneribu
incidunt, eximenda, & quomodo ſympto
matibus talium vulnerum, profuſioni ſan
guinis, inflammationi, eryſipelati ſit occur
rendum, vel, ſi plane in ulcera degenerent
quid tum faciendum, & qualem deniqu
fiſtularum & ſinuum curandorum rationem
habere conveniat?

§. 168. *Euſtachius Rudius*, Utinenſis, tra
ctavit chirurgiam, quam dicunt *medicamen
tariam* ſeu *pharmaceutico-medicam*; Edidi
enim Libros VII. de adfectibus externa
rum C. H. partium, qui tractatus & chirur

gi

s & medicis utiliſſimus eſt, ſicuti & inſi-
ni ſua utilitate ſeſe illis commendat tra-
atus de ulceribus, libris tribus compre-
enſus, ſimiliterque tractatus de tumori-
us, quem pariter tribus libris auctor com-
lectitur.

§. 169. Chirurgiam *curtorum* ſolus ad-
reſſus eſt *Caſpar Tagliacotius*, Bononien-
s, in Academia patria medicinae & chi-
urgiae P. P. in libro, cui titulus: *Cheirur-
ia nova, de narium, aurium labiorumque de-
ectu per inſitionem cutis ex humero, arte ha-
lenus omnibus ignota, ſarciendo, quae de cur-
is pars cheirurgiae nobilisſima, tam à neote-
icis quam veteribus, magno artis & majore
aborantium diſpendio & jactura, tot ſeculis
leſiderata fuit: Additis cutis traducis inſtru-
nentorum omnium atque deligationum iconi-
ius & tabulis.*

§. 170. Nullum vero dubium eſt, quin
novae iſtius cheirurgiae auctor omne hoc
rtificium mutuatus fuerit ab artificioſa ar-
borum inſitione, ubi ramulus unius arbo-
tis in truncum alterius arboris per mutuam
inſitionem implantatur, donec tandem in-
ter ſeſe mutuo coaleſcant; Qua in re licet
à priori nulla in ratione ſit contradictio:
Vix tamen *a poſteriori* adparet, qua ratio-
ne in narium labiorumque decurtatione
traducem ex humero, in mutilatione vero

 aurium,

aurium, in regione pone aures quaere facťaque in dictis partibus idonea ſectio cutaneam propaginem cum artubus cur diligenti ſutura, facta quadam implantati ne committere, aliisque vix ac ne vix qu dem ſuperabilibus difficultatibus ſatisface liceat, inprimis qua ratione, quae novo a tificio juncta ſunt, ad tempus perfecti co litus usque conjuncta ſervanda; quomoc caput ad brachium tanquam ad palum r vinctum ita colligari ac detineri valeat, in neutram partem, ſtabile ac veluti imm tum membrum, flecti queat: Quomoc genuinum narium, aurium &c. exempl exprimendum, ac injuriae externae cu ſymptomatibus ſupervenientibus arcenda ac tandem ad perfectam curationem opu deducendum ſit? Manifeſtum ergo eſ non ſolummodo ſermonem hic eſſe d *Reſtitutione palliativa*, qua, etiamſi ſub ſtantia non reſtituatur earum partium quae aut à prima nativitate deſiderantur aut per infortunium amittuntur, defor mitati tamen externae quodammod obviam procedunt artifices, verbi gra tia, ſi vel auricula, naſus, oculus, den tes factitii &c. ſupponantur, vel palati la cunae, ab inquinamento venereo exeſae lamella argentea vel aurea denuo repleam tur, vel deficiens linguae portiuncula ad

pen

endice factitia ſuppleatur, vel manus, rachium, tibi a artificialis &c. adnectatur: ed etiam de *reſtitutione vera* hic potiſſimum gere auctorem, qua nempe ratione orga- a naturalia per infortunium abſciſſa atque eperdita, monſtroſamque deformitatem auſantia, per mirificam talem inſitionem *ere reſtaurari*, & odioſae tali mutilatio- i *poſitive* & cum effectu occurri valeat.

§. 171. Verum enim vero fateor quidem, nuſitatam ac plane mirandam in opere iſto nimi ſagacitatem conſpiciendam praebuiſ- ſe Auctorem: An vero unquam practicum liquod ſpecimen hujus generis chirurgiae exhibuerit, prudentiores omnes merito du- bitabunt: Atque adeo inter ſpeculationes theoreticas totum hoc inventum non mini- mum obtinet locum, novo interim do- cumento, inter praxin *cathedralem* & *clini- cam* ſollicite ſemper diſtinguendum eſſe.

§. 172. Nam 1) certiſſimum eſt, univerſum talis operationis adparatum arduum & difficul- tatis pleniſſimum eſſe, tum ipſimet aegro- tanti tum etiam chirurgo. Ut 2) taceam, absque exquiſitis & vix ſuſtinendis dolori- bus & cruciatibus eam confici non poſſe. Accedit 3) impoſſibile ferme videri, maſ- ſam quandam carneam, membro detrun- cato adglutinatam tanto artificio fingi ac refingi poſſe, ut naturam partis, cui adna-

 ſcitur,

ſcitur, exacte aemuletur, cum labia carne gaudeant turgidula, ſingulari ſuavitate molli, & cujus naturam vix ulla alia pars exprimit, quaeque proinde tota ſua indole differt a carne, unde reſtitutio deſumitur: Aures vero & nares ſubſtantia gaudent cartilaginoſa, quae iterum tota eſſentia diverſa eſt a carnibus muſculoſis, quibus ſecundum *praeceptum Tagliacotianum* membra curta inſerenda ſunt. Et 4) tandem, quid fiet de ſenſu & vita talium partium reſtitutarum, ſi quam maxime concederetur, regulis artis non repugnare, informem & inconditam talem maſſam carneam membris curtis adglutinari poſſe.

§. 171. Interea totum ſuum opus *duobus Libris* comprehendit *Tagliacotius*, in quorum *primo*, poſteaquam de faciei, narium, aurium labiorumq; ſtructura pauca praemiſerat, principia mirabilis hujus operationis tradit, ac poſtmodum agit de materia refectioni curtorum idonea, de loco, unde propago cutanea educenda, quibus anni temporibus ſuſcipienda, an ex proprio, an vero ex alieno corpore tradux eligendus &c. In *ſecundo* vero libro, expoſito ſcopo totius operis & univerſalibus agendorum intentionibus exhibitis, inſtituit enumerationem eorum, quae pro delineatione propaginis cutis neceſſaria ſunt, omnemque ſuppellectilis

ctilis adparatum imo ipſam curationem
opaginis jam delineatae, ſubjuncta ſym-
ómatum cuti delineatae ſupervenientium
edela &c. Paſſim vero interſperſae ſunt cu-
oſae quaeſtiones, quae totius negotii ma-
ri illuſtrationi ſubſerviunt; v. g. quo pa-
o nova organa per chirurgiam curtorum
enuo reſtituta nutriantur, vivant, ſenti-
ntque? An in illis vaſa ſanguinea nova
enerentur? Cur humerus ex omnibus
orporis partibus unus ſit & aptiſſimus &
utiſſimus, pro curtis reſarciendis? Utrum
urtorum reſtitutio medicinae curatrici an
ero comptoriae ſit adſcribenda?

§. 174. Atque hiſce omnibus tandem ſub-
uncta viſitur viva curtarum narium, auri-
m labiorumque traducis cutanei, inſtru-
nentorumque ac deligationum, quae chi-
urgicae tali inſitioni deſerviunt delinea-
tio: In quibus tamen omnibus intellectui
vivide offerendis, ut exacte intelligantur,
fortiſſima imaginatione opus eſt.

§. 175. *Durans Scacchi*, Fabrianenſis, in
medicinae, quod inſcribitur, ſubſidio, lu-
culenter demonſtravit, quantum docta ma-
nus ad immanes morbos evellendos valeat;
Quo ipſo novum ſubminiſtravit argumen-
tum, ex quo ſummam artis efficaciam aeſti-
mare licet.

§. 176. *Petrus Martyr Tronus*, Novaria-

 nus

nus; de ulceribus & vulneribus capitis tractatum edidit.

§. 177. *Marcus Antonius Montagnana*, Patavinus, ſcripſit de herpete, phagadaena, gangraena, ſphacelo & cancro tum cognoſcendis tum curandis adcuratam tractationem.

§. 178. *Johannes Andreas a Cruce*, Venetus; abſolutum chirurgiae univerſalis opus edidit, in quo quorumlibet adfectuum H. C. ad chirurgiam ſpectantium notionem, praedictionem atque curationem perſpicua methodo enarravit, cui inſuper addita eſt officina chirurgica, in qua nempe inſtrumenta omnia aliaque chirurgo convenientia ſuis delineata figuris conſpiciuntur: Unde oppido liquet, utramque chirurgiae partem tam operatoriam quam pharmaceuticam ipſum, ſicuti jus fasque erat, diligenter combinaſſe.

§. 179. *Baptiſta Codronchius*, medicus Imolenſis, in libris duobus, quos de vitiis vocis ſcripſit, etiam acceſſorium edidit magnae utilitatis, nempe de methodo teſtificandi in quibusvis caſibus medico-chirurgicis oblatis; Quo in libro nonnullae difficillimae ſimul atque pulcherrimae quaeſtiones explicantur, nec non formulae quaedam teſtationum proponuntur, opus non medicis modo ſed & JCtis utiliſſimum.

§. 180.

§. 180. Ex *Italia* transmigramus in *Galliam*, verum illud artis chirurgicae theatrum, in quo elapſo potiſſimum ultimo ſeculo, plures adparuere artifices celeberrimi, quam univerſa reliqua cultior Europa ſiſtere potuit. Ad ſcriptores vero ſeculi *decimi quinti* pertinent *Johannes Pariſienſis*, *Hieronymus Montuus*, *Antonius Chalmetaeus*, *Stephanus Gourmelinus*, *Jacobus Hollerius*, *Hieronymus Rupeus*, *Johannes Tagaultius*, *Franciſcus Vertunianus*, *Franciſcus Roſſetus*, *Philippus Fleſſelius*, *Iſaacus Joubertus*, *Ambroſius Paraeus*, *Johannes Riolanus*, *Jacobus* & *Carolus Guillemeau*, *Nicolaus Abrahamus Frambeſarius*, de quibus omnibus nunc ordine agemus.

§. 181. *Johannes*, quem communiter *Pariſienſem* vocant vel *de Pariſiis*, chirurgiam ſcripſit de variis modis curandi vulnera, quocunque demum modo corpori inflicta fuerint, ſectione, punctione, contuſione, tormentorum globis &c. a capite usque ad pedes, quae Argentinae germanice impreſſa eſt. Quo in libello id praecipue laudem meretur, quod non remedia qualiacunque promiſcue & undecunque conquirere laboraverit, ſed paucis, ſua tamen praxi & uſu multiplici comprobatis fuerit contentus, quorſum pertinet emplaſtrum, unguentum & potio vulneraria ſuae compoſitionis, cui magnas vires attribuit.

§. 182.

§. 182. *Hieronymus Montuus*, Allabrox medicus Gallus, *Sebaſtiani Montui*, patris pariter medici, haud degener filius, floruit A. C. 1525. De morbo gallico librum reliquit, uti & de auxiliis chirurgicis ad adfectus, repentinam curationem exigentes, de quibus agitur Parte IV. medicinae practicae ejusdem. De qua eadem materia, nempe de ſubſidiis chirurgicis egit etiam *Durans Scacchi* peculiari tractatu, ex quo potiſſimum, quantum docta ſeu perita manus ad immanes morbos evellendos praeſtare valeat, mirum in modum eluceſcit, ſicuti paulo ſuperius jam retulimus.

§. 183. *Philippus Fleſſelius*, ſive, ut ab aliis ſcribitur, *Fleſſellius*, de chirurgia librum edidit.

§. 184. *Antonius Chalmetaeus*, Vergeſacus, ſcripſit enchiridion chirurgicum, in quo plerorumque morborum externorum remedia, cum univerſalia tum particularia breviſſime complectitur, quibus etiam acceſſit methodus probatiſſima curandi morbum venereum, & editioni Lugdunenſi inſuper addita eſt inſtrumentorum & ferramentorum delineatio.

§. 185. *Stephanus Gourmelinus*, Curioſolita, ſcripſit Libros III. artis chirurgicae, ex decreto *Hippocratis* aliorumque veterum medicorum, nec non libros VI. ſynopſeos chirurgicae.

§. 168.

§. 186. *Jacobus Hollerius*, Stempanus, medicus Pariſienſis, ſectator acerrimus *Hippocratis* ejusdemq; interpres, inter primos numeratur, qui medicinam Arabum, quae huc usq; in ſcholis regnaverat, ex Academia Pariſienſi una cum aliis expellere coepit, & doctiſſimos habuit diſcipulos, inter quos *Ludovicus Duretus* potiſſimum eminuit. Libros III. de materia chirurgica ſcripſit, qui cum *Johannis Tagaultii* Libris V. inſtitutionum chirurgicarum prodiere: Nam *Tagaultius* aliis laboribus praepeditus ipſemet Libro VI. *Guidonis de Cauliaco* elaborando manum admovere non poterat, eamque ob cauſam *Hollerio Stempano* ulterius elimandum ac perpoliendum tradebat, qui proinde, ut ſuo ſatisfaceret officio, ordine egit de repellentibus, de attrahentibus, de reſolventibus, de emollientibus, de ſuppurantibus, de aperienda vomica, de purgantibus, de ſarcoticis, de epuloticis, de glutinantibus, de pyroticis, de dolore, de haemorrhagia, quibus demum omnibus ſubjunctum eſt caput de utili materia in vitiis oſſium.

§. 187. Hic igitur *Johannes Tagaultius*, Ambianus Vimacus, medicus Pariſienſis, ſcripſit Libros V. de inſtitutione chirurgica, qui cum libro VI. *Jacobi Hollerii* de materia

teria chirurgica prodiere. Continetur autem in dictis inſtitutionibus univerſum *Guidonis Cauliaci* opus chirurgicum, & quidem multo copioſius, & inſuper, cum alias valde obſcurum barbaroque ſtylo conſcriptum fuerit, elegantiori latinitate donatum. Caeterum hoc ſuum opus dedicavit Auctor Chriſtianiſſimo Galliarum Regi, *Franciſco* hujus nominis *primo*, quem non ſolummodo propter praeclaras animi dotes ac divinas propemodum virtutes, tanto Principe dignas admodum laudat, ſed etiam, quod ſpeculatione anatomes incredibiliter delectatus fuerit, imo & illam medicinae partem, quae manu medetur, maximi aeſtimaverit: Unde in menſa aliquando in conſpectu ſuorum Magnatum ſermone de chirurgia habito ſpoſpondit, ſe unum vel alterum doctum & longo uſu exercitatum medicum conſtituturum, qui artem chirurgicam Lutetiae Pariſiorum, quod ante illa tempora factum nondum fuerat, publice interpretaretur.

§. 188. Neque vero infucata haec laus detrahenda eſt *Tagaultio* noſtro, quod chirurgiam diu indigne habitam & ſqualidam ſervitutem paſſam ab *Albucaſi*, *Lanfranco*, *Rolando*, *Bruno* aliisque, reduxerit novoque ornatu decoraverit. Ut autem presſius opus ejusdem examinemus, exorditur a

genera-

nerali artis conſtitutione, & in perito
que rationali chirurgo potiſſimum duo
quirit, primo exactam cognitionem ar-
s chirurgicae & ſecundo ſolertem prom-
itudinem ſeu dexteritatem ea omnia exe-
uendi, quae ad adfectus chirurgiae ſubje-
os pertinent: Unde eam diſtinguit in *the-
icam* & *practicam*; *Illam* adquiri per co-
nitionem principiorum artis; *Hanc* vero,
uae per rationem inventa ſunt, manuali
pera recte perficere docet. Progreditur de-
ıde ad diviſionem chirurgices in ſuas par-
es, generalem nempe & ſpecialem: In *illa*
icit tradi operationes, tam in partibus C. H.
ollioribus, quam durioribus; In *hac* vero in-
rui chirurgum, quo modo operari recte
tq; convenienter debeat circa tumores p.n.
ulnera, ulcera, fracturas atque luxationes.

§. 189. Quod attinet operationes, ſcopo
hirurgico adſequendo idoneas, ad illas
evocat (1) continui diviſionem, quam
lias *diaereſin* vocant. (2) Diviſi ſeu dis-
uncti unionem ſeu conjunctionem, quae
lias *ſyntheſis* dicitur. (3) Superflui abla-
ionem, quam *aphaereſin* vulgo adpellant.
Hiſce vero ſcopis ut quis recte potiatur,
auxiliorum ſeu inſtrumentorum adplica-
tionem neceſſariam eſſe injungit, quae in
medicinalia & *ferrea* ab ipſo diſtinguuntur.
Ad *priora* referuntur bonum regimen ſeu
diaeta

diaeta, emplaſtra, unguenta, pulveres &c. Ad *poſteriora* vero, quae vel *incidendo* ... *exſcindendo* operantur, ut forfices, novacula, ſcalpella varii generis chirurgica, v... *urendo*, ut cauterium, vel *extrahendo*, u... forcipes, volſellae, hami recurvi, vel *conſuendo*, ut acus & cannula.

§. 190. Abſoluta *parte Iſagogica* ad diviſionem totius operis progreditur, idqu... *Libris V.* comprehendit: In *primo* agit d... tumoribus p. n. quorſum refert phlegmonem veram, aliosque à ſanguine procreatos tumores, carbunculum, gangraenam ſphacelum; Inde tranſit ad eryſipelas aliosque à bile creatos tumores, quibus ſuccedunt tumores frigidi, œdematoſi, ubi ſimu... etiam agitur de nodis, ſtrumis aliisque excreſcentiis, quos tandem excipiunt ſcirrhoſi, ex atra bile geniti, uti eſt cancer. In *ſecundo* proſequitur ordine chirurgiam vulnerum, ubi praemiſſa generali vulnerum diviſione eorumque differentiis agit de vulneribus partium carnoſarum, de vulneribus cavis cum amiſſione ſubſtantiae, cum hyperſarcoſi iisdem accedente, de vulnere contuſo, de ecchymomate, de vulneribus ex ictu ſeu morſu animalium venenatorum, de vulneribus nervorum, tendinum, ligamentorum ipſorumque oſſium. Libro *tertio* tractat de curandis ulceribus, ubi ite

rum

ım generali ulcerum diviſione & neceſſa-
is differentiis praemiſſis agit de ulcere
yſcrato, de hyperſarcoſi, ulceribus ſuper-
ıducta, de ulcere calloſo & decoloratio-
e labrorum, verminoſo, diſrupto cum oſ-
s corruptione complicato, de ulceribus
yſepuloticis, inveteratis, cacoëthicis &
hironianis, de ulceribus virulentis & cor-
oſivis, de ulceribus ſinuoſis, cuniculoſis,
rofundis & ſordidis, de fiſtula & cancro
xulcerato. Libro *quarto* traduntur cura-
ones fracturarum, & *quinto* denique luxa-
onum, cui praecipuorum C. H. oſſium
omenclatura ſubjungitur.

§. 191. Quod vero Librum *Sextum* ſpe-
at de materia chirurgica; illum ipſemet
on elaboravit, ſed *Jacobo Hollerio* medi-
o lectiſſimo, tanquam inchoatum & rude
xpoliendum & limandum tradidit; qui
tiam officio ſuo tam feliciter defunctus
t, ut ſincere fateatur *Tagaultius*, ſe totum
pus, cum ad ipſum rediiſſet, ita immuta-
ım deprehendiſſe, ut pro ſuo amplius a-
noſcere non potuerit: Unde etiam *Hol-
rii* potius quam ſuo nomine illud evul-
andum eſſe cenſuit, ne ille debita ſua
ude meritaque gloria defraudaretur.

§. 192. *Hieronymus Rupeus*, Toloſanus,
ı paradoxis medicis, quae ſcripſit, prae-
er ea, quae ad medicinam ſpectant, ea quo-

I que,

que, quae ad chirurgiam & obſtetric pertinent, expoſuit.

§. 193. *Franciſcus Vertunianus*, Pictavie ſis, *Hippocratis* Coi librum de vulnerib capitis latinitate donavit & commentar ſuis illuſtravit, addito etiam graeco text quem *Joſephus Scaliger* caſtigavit.

§. 194. *Franciſcus Rouſſetus* eam chiru giae partem adgreſſus eſt, quae de par caeſareo agit: Proinde edidit ὑϛεροτομοτ κίαν ſeu de ſectione caeſarea librum, quo de opificio chirurgico humani ortu aliter fauſte ſuccedere nequeuntis, qua per ſolertem ventris materni inciſione ſoſpite cum ſuo fœtu matre ipſa, erudi diſſeruit. Notandum vero eſt, tractatu ab auctore gallice, ſicuti Galli ſolent, ve naculam ſuam linguam depereuntes & mnibus aliis, etiam Dominae linguaru longiſſime anteponentes, primum conſcr ptum, deinde vero à *Caſparo Bauhino* civ tate latina donatum, variisque exempli lectiſſimis hiſtoriis & lithopaedio Senen illuſtratum eſſe. Inſurrexit autem cont hanc operandi rationem eamque veh menter impugnavit junior quidam chiru gus, quem tamen acerrime perſtrinxit, ed ta brevi apologia pro partu caeſareo, i dicacis cujusdam ex pulvere paedagogic chirurguli, theatralem invectivam.

§. 19

. 195. *Iſaacus Joubertus* ipſemet quidem
rurgica non edidit, interim tamen *Gui-
is de Cauliaco* dictiones interpretatus
cum figuris inſtrumentorum chirurgi-
um, in opere ejus memoratorum, quae
ıen ex *Ambroſii Parei* operibus maxi-
n partem mutuatae ſunt. Proſtat au-
ı cum chirurgia magna *Guidonis*, Cau-
enſis.

. 196. *Ambroſius Pareus*, trium Galliae
gum, qui *Henricum III.* in regno prae-
erant, inprimis vero *Henrici III.* Gallia-
n & Poloniarum Regis, cui etiam opera
chirurgica dedicavit, chirurgus lauda-
mus fuit, qualecunque tandem judici-
de ipſo ferat *Riolanus*, acris alioquin
orte invidioſus inſectator, ſicuti animi
s indolem jam alibi delineavimus. Quis
m idiotam fuiſſe credat Pareum, qui, ut
emet in epiſtola dedicatoria ad *Henricum*
gem fatetur, quinquaginta annos in chi-
gia & illuſtranda & amplificanda omni
ere ſtudioque invigilavit: Quem proin-
finem ut felicius adſequeretur, nulli ne-
e tempori, neque labori neque ſumptui
ercit, ut votis ſuis in communem ſtu-
ſorum Chirurgiae utilitatem tendenti-
ſatisfaceret. Accedit, ipſum vario-
n atque multiplicium graviſſimorum ca-
m ſive feliciter ſive infeliciter, ut fieri

in rebus humanis ſolet, cedentium expe-
rientia edoctum multa detexiſſe, quibus ar-
tem chirurgicam egregie locupletavit.
gnarus equidem fuit linguae latinae, ut a-
liorum Medicorum Pariſienſium opera i
edendis ſcriptis ſuis uti coactus fuerit: Il
tamen praeter verba nihil adjecerunt, un
verſum vero exemplorum & obſervatio-
num chirurgicarum à ſeipſo factarum p
nu ipſe ſolus ſuppeditavit: Unde *Johann
van Horne* in epicriſi ſcriptorum Chiru-
gicorum recte judicat, melius feciſſe Pa-
reum, ſi ſingulares ſuas curationes & rario-
rum adfectuum obſervationes ſimul atqu
remedia, longo demum & infallibili uſ
& tot annorum experientia ipſi compro-
bata, parvo volumine comprehenſa in lu-
cem edidiſſet: Ita enim multa ſuperflu
& à ſcopo chirurgico plane aliena reſcin-
dere, ſicque arctioribus limitibus opus ſu-
um comprehendere potuiſſet. Ita vero
fieri natum eſt, ubi ingentia talia volumi-
na in publicum protruduntur. Interim
Jacobus Guillemeau opera *Parei* elimata no-
visque iconibus elegantiſſimis exornata &
latio inſuper donata evulgavit.

§. 197. Continentur autem dictis ope-
ribus, praeter introductionem ſeu viam a
chirurgiam compendiariam, non ſolum
corporis humani ſingularumque ejus par-
tium

um exactiſſima anatome, ſed etiam per-
ſectiſſima curandi ratio tumores p. n. vul-
era, ulcera, fracturas & luxationes, imo
curationes multorum aliorum adfectu-
m, manum chirurgi expoſcentium, qui-
ue ab aliis ad illud usque tempus deſcri-
ti non erant, una cum multis phyſiologi-
s atque therapeuticis lectu digniſſimis.
cceſſit tractatus de renunciationibus &
adaverum embammatibus. Caeterum in
rima parte, quam *Medicamentariam* vocant,
git de tumoribus contra naturam in ge-
ere & de tumoribus particularibus, ſimili-
er de vulneribus in genere & pariter quo-
ue de recentibus & cruentis ſingularum
artium vulneribus, item de vulneribus
clopo aliisque igniariis machinis & telo-
um omni genere illiſis; Porro de contu-
onibus & gangraenis, de ulceribus, fiſtu-
s & haemorrhoidibus: In *altera* vero
arte, quam *operatoriam* dicunt, primum
ractavit in genere de faſciis, de fracturis
& luxationibus, deinde autem in ſpecie de
gophthalmo, de chalazio & hordeolo
alpebrarum, de hydatidibus palpebrarum,
e commiſſis & inter ſeſe conglutinatis
alpebris, de proptoſi ſeu procidentia ocu-
i, de ungula, de fiſtula lacrymali, de cata-
actae depoſitione, de dentibus ferro evel-
endis, de lithotomia, de phymoſi ac para-

phymoſi, de cucurbitulis & ſanguiſ
gis &c.

§. 198. *Johannes Riolanus*, Pater, Ambi
nus, dogmatum *Hippocraticorum* vind
acerrimus atque defenſor ſtrenuus flori
A. C. 1598. & Academiam Pariſienſem p
plurimos annos condecoravit. Unive
ſam quidem medicinam deſcripſit, inter
tamen non neglexit etiam chirurgiam, cuj
ſpecimen Lipſiae prodiit anno 1601.

§. 199. *Jacobus Guillemaeus*, ſive ut gallice ſc
bitur, *Guillemeau*, Aurelianenſis, Regi
atque Pariſienſis chirurgus, opera *Ambr*
ſii Parei limatiora edidit, latio donavit,
gurisque & iconibus novis elegantiſſim
exornavit, nec non *Marco Mironi*, *Henr*
III. Galliarum & Poloniae Regis Archiatr
clariſſimo dedicavit. Manum vero adm
vit operi eo lubentius, quia ſub *Ambro*
Parei magnis in chirurgia conatibus in X
nodochio Pariſienſi, tanquam ampliſſim
quodam omnis generis vulnerum morb
rumque theatro per integrum bienniu
non ſolum diſciplinae hujus rudimenta p
ſuerat, & multarum egregiarum operatio
num a *Pareo* inſtitutarum ſpectator αὐτ
πτης fuerat: Verum etiam ubique, don
foriſque, in acie, in caſtris, imo & Lut
tiano totius orbis emporio ipſum comit
tus erat, ut, quotiescunque circa Ducum
Herc

eroum ac civium corpora curanda verſa-
tur, nunquam aliquid moliretur, niſi
ſo *Guillemaeo* praeſente atque miniſtro.
uis igitur tanto operi expoliendo & illu-
rando capacior extitiſſet, quam noſter
uillemaeus, qui ſtudii hujus excolendi gra-
a nonſolum univerſam Germaniam pera-
avit, ſed & Hiſpanorum in Belgis caſtra
tum quadriennium ſequutus eſt: Quo
mpore non modo ſtrenuam ſauciis mili-
bus operam attulit, ſed & provide ſimul-
ue attente circumſpexit, quam curandi
am tenerent, qui una cum ipſo noſoco-
io praeerant, Itali, *Hiſpani* atque Germa-
i, omnes chirurgi exercitatiſſimi.

§. 200. Ejus filius, *Carolus Guillemaeus*,
abioſas ſimulque valde ſcandaloſas agitavit
ontroverſias cum *Johanne Cortaud*, medi-
o Monſpelienſi, in quem impudentiſſi-
as & viro honeſto indignas evibravit in-
rias, & contumelioſis paſſim nominibus
ſum oneravit, eoque ipſo animi ſui mali-
nitatem & rancorem ſatis prodidit: Di-
nus propterea, quem medici ſuae aetatis
x ſocietate ſua penitus ejeciſſent, & con-
ortio ſuo indignum judicaſſent.

§. 201. *Nicolaus Abrahamus Frambeſarius*,
edicinae & chirurgiae laude clarus fuit
irca annum 1595. Patrem habuit *Hectorem*
brahamum Frambeſarium, pariter medicum

atque chirurgum celebrem, a quo in prima ſtatim adoleſcentia variorum adfectuum externorum, vulnerum, ulcerum atque fracturarum curationi adhibitus eſt, ſicque ipſa veluti praxi tantam ſibi dexteritatem & experientiam adquiſivit, ut plane in Academia Pariſienſi inter Profeſſores Regios locum perhonorificum obtinuerit, imo tandem Archiatri ſimulque conſiliarii Regii functione donatus ſit. Inſeruit reliquis ſuis ſcriptis medicis paſſim etiam chirurgica quaedam, ſub titulo canonum chirurgicorum, quibus exteriorum & interiorum corporis adfectuum methodicam curationem proſequitur.

§. 202. Agmen inter ſcriptores ſeculi hujus Gallos claudat *Andreas Furnerius*, Medicus Pariſienſis, niſi quis locum hunc dubium ipſi reddere praeſumat. Si vero *coſmeticen* tanquam chirurgiae partem admittamus, non adparet, cur locum inter ſcriptores chirurgiae ipſi diſputemus? Scripſit autem idiomate gallico tractatum tribus libris comprehenſum de decoratione C. H. inquorum *primo* multa ad chirurgiam pertinentia continentur; in *ſecundo* agitur de ornatu muliebri, in *tertio* vero de diverſis unguentis ad ſcabiem, ulcera, excoriationem cutis, aduſtionem & ignem volaticum.

§. 203. Nunc denique ordo nos deducit

ad

d ſcriptores hujus ſeculi *Germanos*, qui-
us tamen *Anglos*, *Scotos*, *Danos*, *Helvetios*
c. quoque adnumeramus. Ex his omni-
us vero ſcriptis publicis innotuere *Wen-
elinus Hoeck de Brackenau*; *Gualtherus
ermannus Ryff*, *Conradus Geſnerus*,
ohannes de Gersdorff, *Leonardus Fuchſius*,
ieronymus, *Paracelſus*, *Eucharius Rhodion*,
acobus Rueff, *Andreas Veſalius*, *Georgius
haedro*, *Petrus Foreſtus*, *Thomas Fienus*,
ohannes Langius, *Johannes Wittichius*, *Ja-
obus Lebſeſterus* &c.

§. 204. *Wendelinus Hoeck de Brackenau*,
ractatum edidit de curandis ulceribus,
norbum gallicum ut plurimum conſe-
uentibus: Unde etiam integrum ſcripſit
ractatum de mentagra, ſeu de cauſis, prae-
ervativis, regimine & cura morbi gallici.

§. 205. *Gualtherus Hermannus*, ſive ut alii
cribunt, *Hermenius Ryff*, Argentoratenſis,
nedicus atque chirurgus admodum clarus
loruit Moguntiae A. C. 1539. Edidit chirur-
giam magnam, lingua germanica conſcri-
ptam, cujus proinde lectio diligens noſtris
ominibus, utpote linguae eruditae ple-
umque miſerrime rudibus & imperitis e-
gregio uſui eſſe poteſt. Non pauca quo-
que chirurgiam ſpectantia comprehendun-
tur in ejusdem enchiridio medicinae theo-
icae & practicae.

§. 206. *Leonardus Fuchſius*, Wembdingenſis Rhaetus, in Academia Tubingenſi medicinae Profeſſor fuit, ſicuti jam memorabiliores ad vitam ejus pertinentes circumſtantias in *Hiſtoria Anatomiae* retulimus. Edidit de curandi ratione libros VIII. ex quibus *quintus* inſcribitur de medendis vulneribus, *ſeptimus* de medendis ulceribus, & *octavus* de curandis fracturis & luxationibus. Laudamus vero ingenuum viri candorem, quod ipſemet in praefatione non diffiteatur, a quibus profecerit: Nempe libros illos de vulnerum, ulcerum, fracturarum & luxationum curatione omnes ex *Galeni*, *Pauli*, *Aetii* & *Guidonis* ſcriptis eſſe conflatos, & in iis conſcribendis plurimum ſe fuiſſe adjutum a *Johanne Tagaultio*, qui ſingula ad hoc negotium ſpectantia jam ante ipſum ex praedictis auctoribus excerpſiſſet, &in elegantem ordinem redegiſſet.

§. 207. *Conradus Geſnerus*, Tigurinus Helvetius, poſtquam in Academia Baſileenſi & Monſpelienſi ſtudio medico diligenter incubuerat, inque priore honores & privilegia Doctoralia impetraverat, in eadem etiam firmas ſedes figere decrevit, atque hinc non ſolum artem, quam didicerat, exercere, verum etiam una cum philoſophia publice docere coepit: Et quamvis

is rei herbariae potiſſimum ſeſe adplicue-
it, ac proinde in chirurgicis nihil proprio
narte tentaverit: Gratiſſimum tamen me-
licis atque chirurgis praeſtitit officium,
quod ſcriptores optimos quosque tam ve-
eres quam recentiores, qui antehac in
Germania editi non fuerant, uno volumi-
ne conjunctos, in eorum gratiam publicae
uci ſiſtere voluerit; Quia ingens ſtudio-
um commoditas eſt, ſi plures ſuper una
eademque re ſcriptores uno tali volumine
ſiſtantur, in talibus praecipue lucubratio-
nibus, quae ſeorſim ac ſingulares prodiere,
quales nempe propter parvitatem molis fa-
cilius negliguntur, ac proinde vel ad mi-
nimum in Doctorum ſcriniis latent vel in
eſcam vermium adſervantur. Interim ut
hunc ſuum laborem publico rectius com-
probaret, non dubitavit celebri tunc tem-
poris medico, *Geryoni Seilero*, Illuſtris Rei-
publicae Auguſtanae medico praeſtantisſi-
mo eundem dedicare. Caeterum ſcripſit
etiam obſervationes de medicinae chirur-
gicae praeſtantia & antiquitate, quae cum
ejusdem ſcriptis chirurgicis proſtant.

§. 208. *Hieronymus*, Brunsvicenſis, Ar-
gentinae chirurgiam exercuit & idiomate
germanico conſcripſit chirurgiam, quae
etiam in urbe Argentinenſi anno 1539. im-
preſſa eſt.

§. 209.

§. 209. *Aureolus Philippus Theophraſtus Bombaſt ab Hohenheim*, vulgo *Paracelſus* dictus, Helvetius, nec literis nec ſtudio quidem medico ex profeſſo ſeſe adplicuit, tantam tamen in eodem famam ſibi comparavit, ut diriſſima illa vulnera, lepram, podagram, hydropiſin aliaque inſanabilia corporis contagia mirifica arte ſuſtuliſſe creditus fuerit, ſicuti in epitaphio Salisburgi ipſi erecto in hunc usque diem legi poteſt. Cum enim animadverteret, plerosque aegros arte male, alios nullo modo, multos a natura ipſa potius quam artificio medico curari, inque antiquorum medicorum ſcriptis multa falſa deprehendi, ad univerſam medicinam reformandam animum adplicuit, tum qua ratione addiſcenda, tum etiam factitanda eſſet. Et quamvis linguarum aeque ac reliquorum ad docendum inſtrumentorum rudis eſſet, nihilominus tamen in Academia Baſileenſi medicinam lingua vernacula publice docuit, quam ipſemet antea non ſolum a Patre ſuo *Wilhelmo ab Hohenheim* didicerat, verum etiam a *Matthaeo Schachtio*, ſuffraganeo Freiſingenſi, *Scheidio*, epiſcopo Setthagienſi, imo &, ſicuti ipſemet non diffitetur, a viliſſimis quibusvis hominibus, vetulis, agyrtis, ruſticis ſenioribus, opilionibus, Zigeunis, Necromanticis &c. Neque minus

us multa in peregrinationibus ſuis per
uſtriam, Tranſylvaniam, Poloniam, Hun-
ariam, Wallachiam, Croatiam, Illyricum
liasque regiones exteras, Aegyptum & A-
abiam ſuſceptis ipſum comprehendiſſe pa-
am eſt.

§. 210. Quamvis autem, uti diffitendum
on eſt, in multis modeſtiae limites usque
deo tranſilierit, ut in reliquos omnes me-
icos, more *Theſſali* illius ἰατρονίκης diriſſi-
na convitia atque contumelias evomuerit:
uis tamen, quas promeruit, laudibus,
raeprimis in praxi chirurgica, defraudan-
lus non eſt. Ipſemet enim *Vetterus* teſta-
ur, *Paracelſum* toto illo tempore, quo
pud ipſum vixit, extra chirurgiam ni-
hil tractaſſe; In primis vero in ulceribus
cocoethicis atque deſperatis curandis mi-
acula praeſtitiſſe, nulla, quod mirandum
eſt, victus aut praeſcripta aut ſervata ratio-
ne, ſicuti ex *Oporini* epiſtola liquet. Scri-
pta ejus chirurgici argumenti ſunt, Chirur-
gia minor, quae Tomo VI. comprehen-
ditur, cum tractatibus ejusdem de apoſte-
matibus, cutis apertionibus, vulnerum
ulcerumque curis; Nec non ejusdem Chi-
rurgia major: Quibus in libris non pauca
continentur arcana, quae felici cum ſucceſ-
ſu in morborum externorum curationibus
in ſubſidium vocare licet.

§. 211.

§. 211. Caeterum ut ordo & diſtributio totius operis exactius paulo innoteſcat, placuit ipſi univerſam chirurgiam *quinque partibus* comprehendere. In *prima* occurrunt vulnera ab extra corpori illata, in *altera* fiſtulae, in *tertia* variae excreſcentiae & adfectus alii externi, in *quarta* lues venerea cum ſuis conſectariis & in *quinta* denique ulcera externa pertractantur. Eſt vero axioma illud, quod ſtatim in principio capitis ſecundi partis primae legitur, dignum, quod omnes chirurgiae practici aureis literis conſignent: Nempe chirurgum non eſſe, qui vulnera curet, ſed naturam ſeu medicum internum. Aliter ſi ſentiat, ſe ipſum decipere & artem, quam profitetur, turpiter ignorare exiſtimat. Verba ejus idiomate germanico haec ſunt: Du ſolſt wiſſen / daß die Natur des Fleiſches / des Leibes / des Geäders / des Beines / in ihr hat einen angebohrnen Balſam / derſelbe heilet Wunden / Stiche und was dergleichen iſt / daß iſt ſo viel geredet / der Balſam / der natürlich im Beinen lieget / der heilet die Bein-Brüche / der Balſam / der natürlich im Fleiſche lieget / heilet das Fleiſch / und alſo ein jegliches Glied träget ſeine eigene Heilung in ihm ſelbſt / und alſo hat die Natur ihren eigenen Artzt in ihrem eigenen Gliede / der das heilet / was in ihm verwundet wird: Alſo ſoll ein

n jeglicher Wund-Artzt wiſſen / daß er nicht
er iſt / der da heilet / ſondern der Balſam im
eibe iſt / der da heilet: So aber der Artzt ver-
ieinet / er ſey der / der da heile / ſo verführet
ſich ſelbſt / und erkennet ſeine eigene Kunſt
icht. ꝛc.

§. 212. Quod reliquum eſt, ſummam vi-
ae ejus deſcripſit *Oporinus*, civis Baſileen-
s, *Paracelſi* amanuenſis, & *Vetterus*, ejus-
em per biennium comes individuus. Plu-
a vero legi poſſunt in erudito ſcripto *Da-
ielis Sennerti* de *Chymicorum cum Ariſtote-
icis & Galenicis conſenſu ac diſſenſu*. Mor-
uus eſt Salisburgi A.C. 1541. nactus aetatem
8. annorum.

§. 213. *Johannes de Gersdorff*, quem alias
Schylhanß nominare ſolent, chirurgus Ar-
entinenſis valde famoſus fuit, & librum
le chirurgia & anatomia ſcripſit.

§. 214. *Eucharius Rhodion*, medicus Fran-
cofurtenſis ad Mœnum, ad noſtrum quo-
que cenſum pertinet, ſi concedatur, obſte-
ricatum eſſe partem chirurgiae, ſicuti re-
vera eſt. Scripſit enim libellum de partu
hominis & quae circa ipſum accidunt, ad-
eoque de parturientium & infantum mor-
bis atque curatione. Vixit circa annum
548.

§. 215. *Jacobus Rueff*, Tigurinus Helve-
tius, chirurgus atque lithotomus celebris
fuit

fuit Tiguri in Helvetia & Libros IV. ſcri
pſit de conceptu & generatione homini
ubi ea omnia, quae ad obſtetricatum pert
nent, diligenter proſequutus eſt. No
minus quoque conſpiciuntur inſertae va
riae picturae foetus, primum in utero ſit
deinde in partu, matricis etiam atque in
ſtrumentorum, ad partum tam promoven
dum quam extrahendum pertinentium
Edidit inſuper libellum de tumoribus phle
gmaticis non naturalibus.

§. 216. *Andreas Veſalius*, Bruxellenſis, cuju
ſummam in ſecando dexteritatem jam ali
as admirati ſumus, & luculentis ſpecimini
bus in *Hiſtoria Anatomiae* oſtendimus, no
minorem habuit peritiam in chirurgicis
Edidit enim Chirurgiam magnam in ſe
ptem Libros digeſtam, in qua nihil, quod ad
perfectam curandorum C. H. malorum
methodum pertineat, omiſiſſe videtur, una
cum formis inſtrumentorum, quibus Chi
rurgi in ſua arte utuntur: Multi tamen de
ſiderant, eam nihilominus magnitudini in
genii *Veſaliani* non reſpondere. Exſtat in
ſuper conſilium ejus medico-Chirurgicum
pro Magni & illuſtriſſimi Terrae Novae
Ducis fiſtula, ex laeva axilla in thoracis
concavum pervia, aliisque gravibus non
paucis adfectibus, ob puris ſupra ſeptum
transverſum coacervationem & ineptam
pe

er fiſtulam expurgationem ſubinde pro-
nientibus.

§. 217. *Georgius Phaedro de Geleinen* ſcri-
it chirurgiam minorem ſeu methodum
erfectae curationis omnium ulcerum.

§. 218. *Petrus Foreſtus*, Alcmarienſis Bel-
, Practici experientiſſimi ſimulque feli-
ſſimi nomen citra contradictionem pro-
eruit; Qua de re non poteſt dubitare,
icunque obſervationes ejus, multo judi-
o, exactitudine & experientia plenas e-
lvere placuerit: Adeo ut ejus exemplar
huc hodie merito ſibi proponere debe-
t, qui obſervationes ejus generis medico-
irurgicas conſignare in animum ſuum
duxerunt. Sed de his alibi agendi oc-
ſionem nanciſcemur, quando hiſtoriam
ſervatorum tam medicorum quam chi-
rgorum ex profeſſo delineabimus.
aeterum gradum Doctoralem accepit in
cademia Bononienſi Italiae, à quo tem-
re primum Lutetiae, deinde Alcmariae,
ſtea Delphis medicam praxin exercuit,
nec tandem in Academiam Leydenſem,
jus tum temporis prima fundamenta po-
cœperant, evocaretur, ibidemque ar-
m, quam hactenus cum adplauſu factita-
rat, etiam publice doceret. Fuit igitur
ter primos artis medicae Profeſſores pu-
cos in Academia Lugduno-Batava, &

immortalis haec ipſum manebit gloria quod primam in Medicina lectionem & orationem pro laude ejusdem in Academia noviter erecta habuerit. Obiit Alcmariae, urbe patria ipſi cariſſima anno 1597 cum aetatem ſuam ad extremam ſenectutem 75. annorum produxiſſet. Praeter obſervationes & curationes medicinales edidit quoque obſervationum & curationum chirurgicarum Libros V. *priores*, in quorum *primo* agit de tumoribus p. n. ſanguineis, in *ſecundo* de *bilioſis*, in *tertio* de pituitoſis, in *quarto* de melancholicis & in *quinto* de mixtis ſeu compoſitis. In *poſterioribus* autem exhibuit obſervationum & curationum medicinalium Libros IV. in quorum *primo* agitur de vulneribus cruentis, caſu, offenſione, percuſſione, & contuſione excitatis, in *ſecundo* de ulceribus, in *tertio* de fracturis & in *quarto* de luxationibus, in quibus omnibus eorundem cauſae ſigna, prognoſes & curationes graphice depinguntur. Omnes vero hae obſervationes tam medicinales quam chirurgicae uno opere junctim prodiere in folio.

§. 219. *Thomas Fienus*, Antwerpienſi Belga, patrem habuit *Johannem Fienum* pariter medicum, & mundi hujus lucem adſpexit anno 1567. Abſolutis ſtudiis ſuis primum illorum praemium expertus eſt in

Aca

Academia Lovanienſi, in qua publica ea-
que primaria Profeſſione in ſua Facultate
donatus eſt: Deinde à *Maximiliano* Bava-
riae Duce, monachium vocatus & Archia-
trorum numero adſcriptus eſt, vix tamen
integro anno exacto ad patrios lares rever-
ſus, ac tandem *Alberti*, Archi-Ducis Au-
ſtriae medicus cubicularius conſtitutus eſt.
Edidit Libros Chirurgicos duodecim de
praecipuis artis chirurgicae controverſiis,
nempe de trepanatione, de depoſitione ca-
taractae, de depoſitione ungulae, de laryn-
gotomia, de paracentheſi abdominis, de
arteriotomia, de hyſterotomatocia ſeu ſe-
ctione fœtus ex utero matris viventis, de
ſectione calculi, de ſectione herniae, de
amputatione membrorum extremorum, de
naſi amputati ex carne brachii reſtitutione;
Quibus omnibus elegantem praefationem
praemiſit *Hermannus Conringius*, in eaque
cauſas prolixe expoſuit, quare antiquiſſi-
mis jam temporibus, chirurgia à reliquo
medicinae corpore ſeparata fuerit, & in
hunc usque diem ſeparata manſerit. Tra-
ctatus de cauteriis, quem *Conringius* pari-
ter publici juris fecit, Chirurgis praeci-
pue inſigni ſua utilitate ſeſe commendare
non ceſſat. Obiit A. C. 1631. anno aetatis
ſuae ſexageſimo quarto.

§. 220. *Johannes Wittichius*, Vinarienſis,

non videtur quidem in Chirurgicis multa praeſtitiſſe; Communicavit tamen dictata quaedam chirurgica de adminiſtrationibus chirurgicis ab excellenti quodam medico Patavino in calamum dictitata, quae methodo ejusdem tam ſimplicium quam compoſitorum medicamentorum adjuncta leguntur.

§. 121. *Caſparus Bartholinus*, Senior, Danus, cujus vitam in *hiſtoria Anatomiae* jam adumbravimus, majorem quidem in Anatomicis quam chirurgicis famam adquiſivit; Reliquit tamen ſyſtema medico-chirurgicum de cauteriis ſeu ruptoriis, praeſertim potentialibus ſeu poteſtate agentibus, cujus lectio Chirurgiae Studioſos non pœnitebit.

§. 222. *Johannes Langius*, Lemberga-Sileſius, poſtquam emenſo ſtudiorum ſuorum ſtadio in Academia Piſana gradum in arte acceperat, in Germaniam reverſus eſt, inque metropoli Palatinatus inferioris Heidelbergae fixam ſibi ſedem elegit, ibidemque per multos annos praxin cum laude exercuit, tandemque quatuor Electorum Palatinorum medicus corporis factus eſt, & cum illo Italiam, Galliam atque Hiſpaniam peragravit. Scripta ejus quod attinet, dedita opera hac vice omittimus, quae ad noſtrum, nempe chirurgicum argumentum non ſpectant: Pro-

Proprie enim huc tantum pertinent *themata*, uti vocant, *chirurgica* numero XI. quorum *primum* eſt: Vulnera ejaculatoriis igne tormentis (pyrobala adpellare ſolent) facta citra methodum à chirurgis temere curari. *Secundum* agit de ſumma chirurgorum in curanda vulnerum apoſtematione imperitia; *Tertium* inquirit in temeritatem chirurgorum in cura cauſonis. *Quartum* traducit coecam eorundem amentiam in curanda coeca cranii fractura; *Quintum* agit de fungis fracto cranio aliisque ulceribus adnaſcentibus. *Sextum* ob oculos ponit curationem oculi diſciſſi, viſu illaeſo. *Septimum* inquirit in rationes, quare chirurgi phlebotomatos ſanguinem ſorbere cogant? *Octavum* rationes perſcrutatur, Quare vulnera temporibus illata reliquis periculoſiora ſint & quare ſectio venarum ſteriles faciat? *Nonum* agit de falſa eryſipelatis curatione; Et *decimum* de emplaſtris barbaris enchoemis; Quibus tandem *undecimum* ſubjunctum eſt de recta luxatorum chirurgiam adornandi ratione. Praeterea vero ad noſtrum quoque cenſum pertinet *volumen epiſtolarum medicinalium tripartitum*, in cujus *libro tertio* agitur de tremore brachii & cordis palmo à puerperio, de cura adoleſcentis, qui à ſupremo domus tabulato novem orgiis alto ſuper ſtratum delapſus fuerat;

rat; de cura prophylactica ſtrumarum, ſteatomatum, atheromatum aliorumque ex pituita oriundorum abſceſſuum; De apoſtemate in perinaeo & fiſtula: Quorum omnium tractatio cum chirurgum potius quam medicum reſpiciat: Hinc eadem hic omittere vel ſilentio praeterire nefas judicavi.

§. 223. *Bartholomaeus Hierovius* ſcripſit methodum chirurgicam, qua docentur rationes expeditae, ſumma facilitate & brevitate curandi apoſtemata, vulnera atque ulcera.

§. 224. *Jacobus Lebſelſterus*, Germanus, theſes promulgavit de vulneribus, quae ſclopetorum globulis infligi ſolent, eorundemque curatione.

§. 225. Hiſce ſubjungo, incertus tamen, an ad hanc praeciſe aetatem pertineat, *Johannis Carethani* Chirurgiam de omnibus adfectibus totius corporis humani & quarumlibet ejus partium ſeorſim, quo modo oriantur & quomodo iisdem ſuccurrendum ſit? Subjuncta eſt genuina methodus venaeſectionem inſtruendi in uſum Balneatorum ac Barbitonſorum.

§. 226. Atque hi praecipui ſunt ſcriptores, qui artem Chirurgicam à primis ejus incunabulis usque ad finem *ſeculi decimi quinti* & initium *ſeculi decimi ſexti* operibus ſuis illuſtrarunt. Deſcendendum quidem nunc

eſſet

eſſet ad hiſtoriam ſcriptorum ſeculi *decimi ſexti* ipſiusque, in quo impraeſentiarum vivimus, *decimi ſeptimi*: Aſt jure metuendum nobis eſt, ne in majorem molem excreſcat noſtra tractatio, praecipue cum recentioris aevi auctores in illuſtranda & locupletanda arte chirurgica plus praeſtiterint, quam omnes praecedentium ſeculorum ſcriptores ſimul ſumpti: Quare conſultius eſſe judicamus pedem hic figere & hiſtoriam juniorum Chirurgorum ſeorſim proſequi.

Nomina Auctorum,

Qui CHIRURGICEN ex Veteribus, ſuis operibus illuſtrarunt, & quorum in hac Hiſtoria mentio injicitur.

A.

Achilles.
Actuarius.
Aëtius Amidenus.
Aegineta *Paulus.*
Aeſculapius.
Albucaſa ſeu Bulcaſis.
Alcazar *Andreas.*
Alcanamoſalus ſeu Canumuſalus de Baldach.
Alexander Trallianus.
Alpinus *Proſper.*
Ammonius Alexandrinus.
Apollonii.
Arantius *Julius Caeſar.*
Arcaeus *Franciſcus.*
Archagatus.
Archigenes.
Argillata *Petrus* de
Avicenna, Arabs.

B.

Baverius de Baveriis *Johannes.*
Benedictus *Alexander.*
Benivenius *Antonius.*
Berengarius *Jacobus.*
Bertapalia *Leonardus.*
Blondus *Michael Angelus.*
Bologninus *Angelus.*
Botallus *Leonardus.*
Brunus.

C.

Capellutus *Rolandus.*
Carcanus Leonis *Johannes Baptiſta.*
Caſſius.
Cauliaco *Guido* de
Celſus *Aurelius Cornelius.*
Chiron Centaurus.

Chacon

hacon *Dionyſius* Daza.
halmetaeus *Antonius.*
hamicus *Johannes Brabus.*
odronchius *Baptiſta.*
oelius Aurelianus.
olle *Johannes.*
onſtantinus Africanus.
raſſus *Hieronymus.*
ruce *Johannes Andreas* à.

D.

DOndis *Jacobus* de.

E.

EVelpides.
elpiſtus.

F.

FAllopius *Gabriel.*
nus *Thomas.*
ſſelius *Philippus.*
reſtus *Petrus.*
Fragoſus *Johannes.*
Frambeſarius *Nicalaus Abrahamus.*
Fuchſius *Leonardus.*
Fumanellus *Antonius.*

G.

GAlenus *Claudius.*
Garbo *Dinus* de
Gatesden *Johannes* de
Gersdorff *Johannes.* de
Geſnerus *Conradus.*
Gomezius *Alphonſus.*
Gorgias.
Gourmelinus *Stephanus.*
Guillemaeus Jacobus.
Guillemaeus *Carolus.*

H.

HAly, Arabs.
Harcerus.
Heraclides.
Hieron.
Hieronymus.
Hippocrates, Cous.

Hoeck

Hoeck de Brackenau *Wendelinus.*
Hollerius *Jacobus.*

I.

INgraſſias *Johannes Philippus.*
Joubertus *Iſaacus.*
Juliarius *Paulus.*

K.

KEtam *Johannes* de.

L.

LAcuna *Andreas* à.
Lanfrancus.
Langius *Johannes.*
Lebſelterus *Jacobus.*
Leonida.
Lopez *Alphonſus.*

M.

MAchaon.
Maggius *Bartholomaeus.*
Marcellus Empiricus.
Meges.
Memigmenon.
Mercatus *Ludovicus.*
Molina *Rodericus* de
Mantagnana *Marcu[s] Antonius.*
Montuus *Hieronymus*
Morus *Horatius.*
Myrepſus *Nicolaus.*

N.

NArvatius *Matthias*
Natus *Johannes Paulus.*
Nicolus *Nicolaus.*
Nonnius *Alvarus.*

O.

ORibaſius.

P.

PAlatius *Philippus*
Paracelſus.
Pareus *Ambroſius.*
Pariſiis *Johannes* de
Paſſerus *Johannes Petrus.*

Phae

edro *Georgius.*
oxenus.
alirius.
on.

R.

Hodion *Eucharius.*
yne *Wilhelmus* ten.
lanus *Johannes.*
gerius.
ſſetus *Franciſcus.*
ſa *Johannes Fran-ciſcus.*
veretus *Octavius.*
dius *Euſtachius.*
eff *Jacobus.*
peus *Hieronymus.*
ff *Gualtherus Her-mannus.*

S.

Aliceto *Guilielmus* de.
ctus *Marianus.*
cchi *Durans.*
ibonius Largus.
tus.
crates, chirurgus.

Soranus, Epheſius.
Soſtratus.

T.

Tagaultius *Johannes.*
Tagliacotius *Caſparus.*
Taranta *Valeſcus* de.
Textor *Benedictus.*
Theodoricus.
Tronus *Petrus Martyr.*
Tryphon.

U. V.

Varignana *Guilielmus.*
Varolius *Conſtantinus.*
Vasquez *Auguſtinus.*
Veſalius *Andreas.*
Vertunianus *Franciſcus.*
Vidius *Vidus.*
Vigo *Johannes* de

W.

Wittichius *Johannes.*

F I N I S.